This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

ANDOVER-HARVARD LIBRARY
AH 55BV -

Doale

357 Greek 1815



Digitized by Google

123. 36

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO PHILOLOGICA

DE

VARIIS LECTIONIBUS

HOLMESIANIS

LOCORUM QUORUMDAM

PENTATEUCHI MOSAICI.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO PHILOLOGICA

DE

VARIIS LECTIONIBUS

HOLMESIANIS

LOCORUM QUORUMDAM

PENTATEUCHI MOSAICI,

AUCTORE

JACOBO AMERSFOORDT,

S. S. THEOL. DOCT.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

MDCCCXV.

Digitized by Google

Ex Biblioth. Regia Berolinensi.

VEND. EX BIBL. REG. BEROL.

CLARISSIMIS BATAVAE ACADEMIAE
THEOLOGIS

JONAE GULIELMO TE WATER,

THEOL. DOCTORI ET PROFESSORI ORDINARIO.

JOANNI VAN VOORST,

THEOL. DOCTORI ET PROFESSORI ORDINARIO.

ELIAE ANNAE BORGER,

THEOL. DOCTORI ET PROFESSORI FACULTATI
THEOLOGICAE ADJUNCTO.

SUIS IN SACRA DISCIPLINA PRAECEPTORIBUS
OPTIME DE SE MERITIS

HANC DISPUTATIONEM

D. D.

AUCTOR.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Quum adolescentibus, per Disputationem publice temporis in Academia exacti quasi rationem reddentibus, hic mos sit, ut, in Praefatione, grati animi erga auctores studiorum moderatoresque sese religione exsolvant; mihi, qui minime omnium neglecti hoc nomine officii culpâ teneri velim, scribere conanti tot tanta protenus bene merita succurrunt, ut, nisi multa, parum; ne vero parum, potius nihil dixerim. At vel parum dicere malo, quod patronis praeceptoribusque usus sum iis, qui nec ullo cujusquam ad laudem praeconio indigeant, et meam infantiam facile excusent, ubi videant, animum, summorum beneficiorum imagine perculsum, cogitata ac sensa verbis exprimere non posse.

Equidem in patriae urbis Amstelodami Illustri Athenaeo a Lennepio et Willmeto Viris Clarissimis ad Antiquitatis studia capessenda commotus confirmatusque, illorum saluberrimae institutionis praestantiam ad hunc usque diem persensi; saepiusque cum sui animi sensum, tum ad rectam studiorum rationem utiliter jucundeque memoriâ recolo illius triennii disciplinam quotidianam;

nec

nec vero unquam Clarissimi Duumviri res studiaque mea destituerunt. Utrique Viro gratiarum hae quasi primitiae sacrae sunto.

His igitur Graecarum Romanarumque et Orientalium, praeterea Historiarum Herm. Bosscha V. Cl., Doctoribus usus, Leidam transii auctoritate et favore Celeberrimi hujus Academiae Curatoris Hieronymi Bosschii, Viri nunc bonis omnibus desideratissimi. Hic admonitione, indulgentia, commendatione, beneficiis, adolescentem me prudentissime amantissimeque sustentavit, erexit, produxit. Quod autem gratiae munus mortuo debitum exsequi nequeo, id nunc unice debetur honestissimis tanti Viri cognatis, magnarum illius virtutum quasi haeredibus, inprimis Viro Cl. Kempero, hujus Acad. Rectori Magnifico, rerum mearum non minus quam ipse antea Avunculus benevolo ac provido patrono.

Aliud item Leidam abeunti patrocinium obtigit Viri Nobilissimi Diderici van Leyden, Toparchae Vlardingensis, eaque mortuo cognati Diderici van Leyden Gael Viri Amplissimi, variis in civitate Leidensi muneribus perfuncti. Tibi igitur, Vir Amplissime, debitas ago habeoque gratias, ac perpetuo me profiteor habiturum.

Itaque Leidam recens advena continuo me contuli in disciplinam Wyttenbachii Viri Cl.; quippe cujus libris legendis, inprimis Ruhnkenii Vitâ quotidie terendâ, puer ego primum cum melioris Latinitatis et universae Antiquitatis, tum vero obtinendae in literarum studio animi constantiae, amorem admirationemque unice imbibissem. Omnino per tres, quatuor, annos diem fere nullum praetermiseram, quin aliquam partem Vitae Ruhnkenia-

nae

niae legerem; nunquam a lectione discesseram, nisi et doctior, et melior idem. Itaque Viri illius, quem absens tantopere admirari coeperam, Leidae continuo praesens institutionem commendationemque consectatus sum. Et vero statim singulari me excepit Vir summus humanitate; perpetuo me docuit, monuit, omnino adolescentiae meae favit. Sunt alii multi discipuli, qui justa orationis facultate Wyttenbachianae disciplinae virtutem et efficaciam praedicare possint: illud vero longe supra vires positum est meas, mihique tantummodo hoc profiteri licet, quum Wyttenbachii praeceptis et absens legendis, et praesens audiendis, literarum amorem et susceperim, et aluerim, me hujus disciplinae memoriam perpetuâ grati animi reverentiâ prosecuturum.

Enimvero Amstelodamensi illâ cum privatâ lectione, tum Lennepii eruditissimi humanissimique Viri, et Willmeti Orientalium literarum peritissimi vindicis institutione factum erat, ut nulla mihi beatior, quam in Orientalium conjuncto cum Graecarum Latinarumque studio literarum, agi vita posse videretur. Itaque in eo eram, ut iis me prope solis tradendum, hujus tantum studii opportunitatibus Leidensibus utendum, ipse mecum constituerem. Attamen scholas Leidenses in Grammaticam Interpretationem sacrorum librorum, quamvis Theologiae nondum deditâ operâ studerem, frequentanti insignem accuratae doctrinae fructum propositum esse, Bosschius et Willmetus abeuntem jam monuerant. Itaque continuo et aliis, et Voorstii V. Cl., ex hoc genere scholis interfui. Exacto anno, omnibus rationibus subductis, ad sacrum munus me praeparare constitui. Ab hoc autem tempore Voorstius illud mihi crebris sermonibus demonstrabat, non amplius integrum esse, ut antea, remissius sacrae disciplinae me dare: elegantiorum literarum studium nunquam sane intermitti

 opor-

oportere; neque enim sine eo suum Theologiae cultum fructumve constare; ita tamen moderandum esse, ut earum rerum ne quid praetermitterem, quas Theologum ignorare dedecet. Hoc igitur hortante ad ipsius Clarissimorumque Collegarum, Christianam; S. J. Wynperssii, Viri Clar. atque erga me benivolentissimi, Naturalem; Theologiam tradentium scholas studiosius me applicare coepi. Praeterea Vir eximius G. J. Schachtius S. S. Theol. Doctor humanissime nobis impertiit institutionem privatam. Itaque diutius in Academia haerenti Voorstius mihi suasor exstitit Doctoris honorem petendi. A quo consilio licet aliquamdiu alienior essem, tamen, multis optimi Voorstii beneficiis cumulatus, tandem prudentissimi Viri lubens nunc obsequor auctoritati. Idemque tractandum dedit scriptionis argumentum Holmesianum, quippe cum aliis nominibus, tum novitate quadam commendabile; instruxit me Vir Cl. admodum liberaliter quovis librorum apparatu: ut paucis dicam, quam in omni studiorum Leidensium ratione, eandem in hoc negotio mihi saluberrimam adhibuit, non tam magistri, quam amici, imo patris, admonitionem, hortationem, laudationem, reprehensionem, diligentiam, fidem, amorem, pietatem. Tibi igitur Vir dilectissime, et eruditissimis Theologis, Collegis Tuis, Boersio, Viro de Ecclesia diu optime merito, nuper defuncto; Te Watero, gravissimo seni, literatae Theologiae inter nostrates antistiti; Borgero, in ipso flore aetatis, ad principum Theologorum laudem contendenti; qualescunque meos in sacra disciplina progressus debeo; benigne accipite, Viri admodum Reverendi, hanc Disputationem, observantiae ac grati animi caussa magnis nominibus Vestris inscriptam.

Verum quo plura memoravi, eo prope plura memoranda supersunt. Superest unius certe Viri virtus, qui quantopere quis pluri-

Digitized by Google

rima merito cuiquam maxime favere potest, tantopere nil merenti mihi favit favetque. Est ille sacrae Eloquentiae princeps et stator, illud Orientis doctrinarum ornamentum, ille quarumvis humaniorum literarum artiumque peritissimus arbiter, qui hac singulari sua ingenii doctrinaeque elegantia et suavitate eximium cum veri et honesti, tum pulcri decorique sensum cuilibet auditori ad hunc sensum non prorsus hebeti et inepto instillare solet. Et quis non videt, me Palmium significare, harum laudum nomine dudum inter omnes nobilitatum? Me quod attinet, si ad discipulum praeceptori, ad juvenem viro, ad hominem homini conciliandum, ad hoc, inquam, si qua vis est diligentissimae institutionis, necessitudinis officiosissimae, ultro collatorum insignium beneficiorum; omnino nisi omnis mihi desit humanitas; quoad vivam, non potero ad hujus viri cogitationem gratissimi animi sensu et affectu non intime commoveri, concitari, conturbari.

Horum igitur Virorum, per triennium Amstelodami, Leidae per quinque annos, quotidie in scholas ventitans, praeceptaque usurpans si quid in doctrinarum cognitione profeci, id unice tribuendum est huic tantae studiorum opportunitati. Quod nisi porro proficiam; ipse mihi sim defuturus, cui institutionis bona tam multa tamdiu contigerint.

Sed praeter doctores aliorum etiam bene merita et officia mihi laudanda sunt Virorum Clarissimorum, Tydemannorum, et Siegenbeekii. Tum vero Duumviris, non magis affinitate, quam ingeniorum animorumque similitudine, inter se conjunctissimis, Tollio et Benneto, praecipuas me par est agere gratias, qui rerum mearum conditioni una cum Voorstio prudenter consuluerint, et identidem communi ambo me prosequi favore pergant.

Sint, qui me arguant ambitiosius tantorum Virorum benivolentiam praedicasse: et quis tandem ignorat, esse quosdam sedulos alienorum vel bene dictorum factorumque vituperatores? At malim in vanitatis, loquacitatis, et cujuslibet animi levitatis calumniam cavillationemque ultro incurrere, quam ingrati pro tantis, quanta mihi data sunt, benivolentiae documentis, animi crimine merito notari. Equidem Deum Immortalem precor, et precabor, ut eâ mente me imbuat, quâ porro haud indignus tantis bonis reperiar, et vero grati animi pietatem non verbis tantum profitear, sed rebus atque factis perpetuo comprobem, cum hominibus, tum vero Ipsi omnium bonorum Datori et Conservatori Optimo Maximo.

DISPUTATIONIS

Digitized by Google

DISPUTATIONIS PARTITIO.

EXORDIUM.

CAPUT PRIMUM.

HISTORIA ARTIS CRITICAE IN EMENDANDO VETERI TESTAMENTO GRAECO USURPATAE.

PARS PRIOR.

Historia Antiqua.

PARS ALTERA.

Historia Nova.

Digitized by Google

CAPUT ALTERUM.

VARIARUM HOLMESII LECTIONUM EX PENTATEUCHO SPECIMINA QUAEDAM.

PARS PRIMA.

De usu Operis Holmesiani in ipsa Versione Graeca.

PARS ALTERA.

De usu Operis Holmesiani extra Versionem Graecam.

§ 21.

PARS TERTIA.

De usu operis Holmesiani ad discernendas antiquas Versionis Graecae Recensiones.

CAPUT TERTIUM.

DE VARIIS LECTIONIBUS LOCORUM PENTATEUCHI IN NOVO TESTAMENTO ALLATORUM.

PARS PRIOR.

De locis Euangelicis.

§. 32.

Digitized by Google

PARS ALTERA.

De locis Epistolicis.

Digitized by Google

DISPUTATIO

DE VARIIS LECTIONIBUS HOLMESIANIS LOCORUM QUORUMDAM PENTATEUCHI.

EXORDIUM.

§. 1. *De emendatione Versionis Graecae Veteris Testamenti universe.*

Emendatio scripturae in Veteri Testamento Graeco cum illam omnibus antiquis libris communem, tum propriam sibi quamdam habet utilitatem, difficultatem, subsidiorum copiam. Usus quidem emendatae scripturae non continetur arctis ipsius Versionis limitibus, sed late pertinet cum ad illos, unde ducta est, Hebraicos, tum ad plurimos, quibus eadem vel ipsa, vel ope novarum ipsius versionum, adhibita est, ex omni aetate Christiana libros, inde a Philone Judaeo, et Apostolis, ad postremum usque Scriptorum

 Ec-

Digitized by Google

Ecclesiasticorum. Difficultatem tamen, ut nil dicam de eâ, quam ipsa sponte habet oratio Hebraeo-Graeca, eademque in hoc libro aliarum partium alia, multiplicem ac novam identidem adjecit perpetua multorum hominum temeritas ac negligentia, hanc Versionem multo magis quam alios libros aut dedita opera ad alienum habitum innovantium, aut rectissimis Criticorum laboribus contemtis atque adeo in damnum conversis imperitissime depravantium. At vero etiam has maculas eluendi plurima et optima suppetunt instrumenta. In ipsa enim Versione loca similia saepe mutuum sibi auxilium praebent. Deinde supersunt hodieque Versionis Graecae plurimi, in iisque complures satis antiquae bonaeque notae Codices: quibus addi possunt, si quis ita velit, primae Editiones. Habemus item Codicem Hebraicum, ad quem quidquid est variae in Codice Graeco scripturae exigatur. Adsunt etiam hi libri Graeci in multas alias linguas antiquitus conversi, variarum lectionum testes perpetui. Porro inde a prima aetate religionis Christianae multi Scriptores Graeci, Latini, Orientales, hac Versione vel aliâ ex hac enatâ usi, quot loca ejus afferunt, totidem testimonia praebent receptae sua quisque aetate eorumdem scripturae. Denique suppetit unica saepe veri repertrix, Ars Conjecturalis: adjuncta Disciplina Criticorum moderatrice, quae horum notitiam instrumentorum tradit, usumque certis praeceptis regit. Quae quidem omnia studium usurpandae in his libris Criticae magnopere commendant.

§. 2. *De argumento Disputationis.*

Quare quum Interpretatio Graeca librorum Veteris Testamenti nostrâ aetate in Britannia a ROBERTO HOLMESIO, undique conquisito rei bene gerendae apparatu, denuo edi coeperit, equidem a Clarissimo Doctore meo Joanne Voorstio admonitus, hac Editione

Digitized by Google

ne paulo diligentius excussâ, secundum eam disputare constitui de locis quibusdam Pentateuchi, sive librorum Mosaicorum; ut aliqua ex his de ceteris, deque universo ejus in Philologiâ momento, coniectura capiatur.

Scriptionis nostrae in sua capita distributio universalis haec est, ut

Primo, Historiam tradamus Artis Criticae in Versione Graecâ Veteris Testamenti emendandâ usurpatae:

Tum, ex toto Pentateucho Graeco variarum Holmesii lectionum quaedam specimina proponamus:

Denique, de variis lectionibus disputemus locorum Pentateuchi in Novo Testamento allatorum.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

HISTORIA ARTIS CRITICAE IN EMENDANDO VETERI TESTAMENTO GRAECO USURPATAE.

---

§. 3. *De scribendi hujus Capitis consilio et modo.*

Artis Criticae in emendando Veteri Testamento Graeco usurpatae Historiam quamdam delineaturo video mihi pauca praemonenda esse, unde consilium ejus modusque cognoscatur.

Primo quidem tenendum est, quamvis ex universae Criticae Sacrae, id est in Sacris libris occupatae, Historiâ loca nonnulla subinde attigerim, me tamen hic unice in loco eo versari, qui est de Versione Graeca: et quum Criticae Artis varia sint munera (*a*), me nunc inprimis attendere ad munus illud, quod cernitur in singulorum scripturâ dijudicandâ locorum, emendandâque mendosorum.

Praeterea velim, ne quis exspectet Historiam Textûs, quem vocant; id est, ejusmodi narrationem, quae omnes in libri alicujus scripturâ factas mutationes in sua genera distributas, e suisque caussis repetitas, inde ab initio per singulas aetates ac regiones per-

(*a*) Conf. Henr. Valesius de Critica Lib. II Cap. I p. 184. Ruhnken. in Elog. Hemsterh. p. 10 edit. sec. Wyttenb. in Vita Ruhnk. p. 27, 28. Heringa de usu et abusu Criticae Sacrae p. 94—97.

Digitized by Google

persequitur (*b*): qualem, verbi caussâ, de Codice Hebraico et Novi Testamenti Graeco composuerunt Kennicotus (in Dissert. II *super ratione* cet. Cap. IV), Eichhornius (in Introduct. in V. T. Cap. II p. 101 sqq edit. Belg.: p. 140 sqq. edit. Germ. 3.), Griesbachius (in Hist. textûs Gr. Epp. Paul.), Hugius (in Introd. in N. T. Vol. I Cap. IV p. 110 sqq.). Etenim in sacris libris permultae lectiones minime sunt meri lapsus librariorum, sed datâ operâ factae mutationes additionesve, ne publicum aut privatum usum impediret oratio sive antiquior Hebraica, sive insolentior Hebraeo-Graeca. Sed nemo non intelligit, tale quid adhuc minime perfici posse in Graeco Veteri Testam., cujus nuper demum undique variae lectiones edi coeperunt: ne dicam, id virile, non juvenile, certe non meum opus esse.

Majorem cum hac scriptione conjunctionem habet Historia Editionum, qualem verbi caussâ Ciceronianarum Ernestus conscripsit (*c*). Sed huic argumento, quoad sacros libros, scriptores multi satisfecerunt. Itaque ex hoc genere illa tantum delibavimus, quae maxime cum nostro instituto conjuncta essent. Eorum autem, qui in universâ ipsius Versionis Graecae, antiquiore praesertim a Veteribus (*d*) mire turbatâ illâ, Historiâ versati sunt, Scriptorum unus instar omnium est Hodius in Opere Oxoniae edito Ao. 1705 (*e*). Locum de Origenis editione pertractavit Montefalco (*f*). Recentiore aetate factas tum Graecae ipsius, tum expressarum ex eâ ver-

(*b*) Cf. Haenlein Introd. in N. T. Vol. II § I.

(*c*) In Opusculis Philologicis et Criticis.

(*d*) Aristea, Philone, ceteris, quorum neminem omisit Hodius. Praecipui mox occurrunt § 4.

(*e*) De Bibliorum Textibus Originalibus, versionibus Graecis, et Latinâ vulgatâ Libri IV Praemittitur Aristeae Historia Graece et Latine.

(*f*) Bernardus de Montfaucon in Praeliminaribus in Hexapla Origenis

Digitized by Google

versionum editiones qui recensuerunt, eorum praecipui sunt Longus (*g*), Grabius (*h*), J. A. Fabricius (*i*), J. G. Carpzovius (*k*), Eichhornius (*l*), Scharfenbergius et Pfeifferus (*m*), Eichstaedius (*n*). At quamvis crebro viri docti ista tradiderint, tamen, quo magis Holmesiani operis caussa et momentum intelligatur, juvat paucis repetere memoriam studiorum, quae superiorum aetatum Critici in emendando Test. Veteri Graeco posuerunt: idque eo magis, quod Historiae Literariae scriptores saepius illi quidem ejusmodi, qualem nunc volumus, narrationis quasi membra separatim expoliverunt, nondum tamen, quod sciam, conglutinata ad justi corporis speciem conformarunt, unde Criticae in hoc Veteris Religionis codice disciplinae aetates ac progressus notarentur, horumque caussae explicarentur, omnino ita, suum ut Historia munus explevisse videretur. Sane Hezelius (*nn*) exaravit Historiam Artis in Veteri Test. occupatae. Idem

(*g*) Jac. le Long Parisiensis in Bibliotheca Sacra. Auctam denuo ediderunt C. F. Boernerus Lipsiae 1709, et A. G. Maschius Halae 1778 — 1790 6 Voll. formae quartae.

(*h*) In Editione Versionis Gr., Prolegom. Cap. III.

(*i*) In Biblioth. Gr. Vol. II p. 315 sqq. edit. primae: Vol. III p. 658 sqq. edit. Harles.

(*k*) In Critica Sacra Vet. Test.

(*l*) In Universali Introductione in V. T. Usus sum Edit. Belgica alterâ A. 1789, et Edit. Germanica tertia A. 1803.

(*m*) In Harlesii editione Bibliothecae Fabricianae l. c.

(*n*) In Additamentis ad Mori Acroases super Hermeneutica N. T. Vol. II p. 103 — 120 et 134 — 143. Cf. item Schleusneri nota ad pag. 6, 7, Opusculorum Criticorum ad verss. Gr. V. T. pertinentium.

(*nn*) *Wilh Fr. Hezel's Versuch einer Geschichte der Biblischen Kritik des A. T.* Halae 1780 in 8°. In priori libelli parte inde a p. 19—38 de praecipuis Judaeorum Criticis narrat inde ab Ezra usque ad R. Athiam. In altera de Christianis: p. 39 et 40 de Origene et Hieron.: p. 41 de medio aevo: p.

Digitized by Google

Idem vero tum in Hebraeo fere Codice substitit; tum et ipse magis auctorum librorumque nomina argumentaque enumeravit, quam ipsius Artis perpetuam Historiam composuit. Itaque in magna copia nescio quid desiderari poterat. Unde consilium mihi subnatum est ejusmodi scriptionis, quae non solâ librorum recensione constaret, sed ipsius Artis Criticae, quatenus ad hanc Versionem emendandam refertur, conditionem per singula tempora persequeretur; quae cujusque aetatis et studia atque normam, et instrumenta Artis, quae ad usum suppetebant, et exculti neglective studii caussas indagaret; atque haec omnia unâ brevi, continuâ, ad totius argumenti intelligentiam accommodatâ narratione explicaret, ipsumque studium diu multumque a summi ingenii absolutaeque doctrinae hominibus exornatum commendaret.

Licet autem ipsa Ars Critica in his libris Origenis demum aetate coli coeperit, tamen ob ipsarum rerum ac temporum cohaerentiam, opinionumque diversitatem nonnulla de prima ipsorum Interpretum Editione praemittere visum est. Et in antiquiore parte quum ingens sit testimoniorum sive penuria sive corruptio, malui doctissimorum virorum sententiis immorari, quam ipse novas conjecturas venari. In recentiore Historiae parte scriptores, quos modo nominavi, non opus esse duxi ad singula narrationis puncta citare, quamvis ex iis profitear me plurimum profe-

cis-

p. 42—44 de Bombergio, R. Stephano, Plantino, Luthero, Postello (sed de hoc quo jure vide infra § 14 nota *s*), Munstero, Ximenio: p. 45—54 de Saeculi XVII Criticis Gallis, Batavis, Britannis, Germanis: p. 55 usque ad finem de Saec. XVIII: p. 55—60 de Gallis: p. 61—63 de Batavis: p. 64—67 de Britannis: p. 68—81 de Kennicoto: p. 82—84 de Italis: p. 85—88 de Germanis priori Saeculi parte: denique p. 89—150 de Germanis inde fere ab Ao. 1760 usque ad 1780, ita quidem ut horum nomina in Indicem elementarium (Alphabethicum) conjecerit, et ad singula libros ab iis editos annotaverit.

cisse. De Holmesii opere fusius narravi, quippe et plerisque adhuc parum cognito, et subjecto reliquae Disputationi argumento. Compluribus libris postremâ aetate in Britanniâ ac Germaniâ editis, mihique ad hanc partem, ut sperabam, valde profuturis, carere debui, sublato a Galliae tyrannis omni humanarum gentium commercio. Itaque scripsi, quod potui. In hoc Capite, et in universa Disputatione plurima longe rectius ac plenius poni potuisse, ipse omnium maxime video et agnosco. Sed hoc imputandum est cum aliis caussis positis in conditione rerum mearum, tum facultatis meae mediocritati, cui illud inprimis observandum est Quinctiliani praeceptum, ne multa, sed multum legamus. Atque idem illud in scribendo mihi certe observandum, ne multa, sed multum scriberem, semper existimavi.

CAP. I

PARS PRIOR.

Historia Antiqua.

§. 4. *De prima ipsorum Interpretum Editione, Saec. ante Chr.* III.

Quum ad accuratum de antiquis libris judicium ferendum multum conferat certam notitiam hominum, locorum, temporum, aliarumque rerum cum libri scriptione conjunctarum, omnino Historiam primae Editionis eorumdem librorum bene tenere, idemque satis constet ad indolem Versionis Graecae perspiciendam plurimum valere; credibile est, fore, ut hujusmodi notitiarum desiderium sa-

Digitized by Google

satis leniretur, si Versionum Hexaplarium historias ab Origene amplissimo Operi praemissas adhuc haberemus. Atque etiamsi forte ne per illas quidem tenebrae omnes dispellerentur, tamen dolendum est, illos qualescunque Commentarios Origenianos non posse conferri cum his Aristeae, Aristobuli, Philonis, Josephi, atque Ecclesiae Patrum fabulosis plerumque magis quam veris narrationibus, quibus nunc hujus quasi incunabula Versionis obscurata jacent. Itaque deficientibus historiarum monumentis, tentarunt inde ab instauratis Antiquitatis Sacrae studiis viri clarissimi, si quid forte lectionis diligentiâ, et conjecturarum felicitate reperirent ad res vere gestas, quarum aliquid certe sub fabularum involucro lateret, enucleandas. Quâ quidem ingeniorum studiorumque contentione illud effecerunt, ut, argumentis in omnem partem versatis, quo quaeque sententia fundamento nitatur, jam satis appareat, habeantque posteri, quod bene sperent, haud certe desperent, fore, ut sensim sensimque tamquam ad fontem, expurgatis fabulis, ad rei gestae fidem nisi tandem perveniatur, at certe multo propius accedatur. Neque tamen exigui supersunt labores, antequam singulis, et quae nunc afferuntur, et quae porro afferri debent, rite ponderatis argumentis, certo evincatur, qua tandem occasione, quo tempore modoque, a quot Interpretibus libri sacri, privatim an publice, aut cuncti simul, aut singuli deinceps Graece redditi sint; posteaque aut mutilati, aut interpolati. Et alia addere possumus, de quibus eadem adhuc est dubitatio. Sunt item nonnulla jam satis explorata, veluti, ante Ptolemaeum Lagi F. nullam fuisse hujusmodi versionem; hoc regnante aut Philadelpho, Saec. ante Chr. III, nisi omnes libros, at certe Mosaicos Graece reddi coepisse; omnium versionem Alexandriae ortum debere; aliorum tamen alios fuisse Interpretes. Qui haec similiaque tractarunt, scriptores longo agmine recenset Carpzov. in Crit. Sacrâ Part. II. Cap. II. §. 1 in notâ

pag. 481 (*o*). Horum autem, et qui postea accesserunt Semleri, Reinhardi, Eichhornii, aliorumque sententias, probatiores quidem, in summam relatas eleganter explicuerunt Morus et Eichstaedius in Acroasibus Vol. II. p. 50—62. At vero inter omnes de hoc argumento auctores adhuc non facile quisquam majori cum diligentiâ omnisque doctrinae apparatu universam hujus Versionis Historiam tractasse reperiatur, quam ineunte superiori saeculo deditâ operâ id egit Humfredus Hodius, Britannus. Quo factum est, ut cum universa disputatio ejus, tum loca illa inprimis a posteris deinceps probarentur, quibus contendit, Aristeae librum esse spurium, et narrationes falsas, (cujus rei suspicionem jam antea moverant (*p*) cum alii, tum Jos. Scaliger); Aristobuli item, quorum fragmenta exstant, Commentarios Saec. II huic nomini esse ſuppositos; non factam esse librorum Sacrorum interpretationem Ptolemaei jussu, et Demetrii Phalerei suasu, ut reponeretur in Regia Bibliotheca; sed ab Alexandrinis quibusdam Judaeis, vel sponte suâ, vel ipsorum Synedrii jussu, in gratiam popularium ibi degentium, ut in Synagogis lectiones e sacris libris haberentur eâ linguâ, quam omnes intelligerent; denique non omnes continuo libros simul, sed Mosaicos primo conversos esse, postea reliquorum singulos deinceps additos.

Quod ad postremum attinet, et sunt cum eo cetera satis conjuncta, scriptores, qui reliquos eodem tempore ac Mosaicos libros Graece redditos esse statuerunt, enumerat Hodius in nota ad p. 159, atque alibi. Qui autem majorem Pentateucho vetustatem tribuerunt, eos magno numero usque ad suam uterque aetatem enumeravit Hodius p. 159, et Carpzovius in Crit. S. pag.

(*o*) Alii quoque eos recensuerunt. Cf. nova editio Fabricii l. c. p. 658 in nota.

(*p*) Vid. Fabric. l. c. p. 665.

Digitized by Google

pag. 497; iisque alii multi postea accesserunt: in his Kennicotus Diss. II *super ratione* cet. p. 309—311 (edit. Lips.), Ernestus Instit. Interp. P. III. C. VII. §. 1 (ed. 4 tae), C. F. Ammon in not. ad h. l., Semlerus in Praeparat. ad Hermeneuticen Theologicam Vol. II p. 321, Michaëlis Introd. in Vet. T. §. 66 (p. 652 ed. Belg.), Hassenkampius Diss. de Pentateucho LXX Intpp. Graeco cet. p. 17 et 80, Idem in libello Germanico infra nominando p. 229, 248, 255, J. A. Starckius in Prologo Critico ad Davidis Carminum Libros V. Vol. I p. 121—123. Eichhornius Introd. §. 162—164, Reinhardus (a quo quamvis adhuc ab juvene scripta inprimis lectu digna est Disputatio) Opuscul. Vol. I. p. 5—23, Koppius in Exc. I. ad Ep. ad Rom. p. 348 (ed. 2), Henr. Owenus in Anglice scripta Brevi Relatione Historica et Critica de Versione τῶν ό p. 1—3. Bauerus in Introd. Germanice scriptâ §. CI, CII, Morus in Acroas. Vol. II. 53, Eichstaedius ibid. p. 57—62, alii (*q*).

Enim vero dies diem docet. Nuper prodiit liber auctoris Hodiana pleraque negantis; quem, si quis esset proletarius homo, aut levibus jactaret se conjecturis, non esset quod moraremur, aut, relicto Hodio, sequeremur. At libri auctor fuit vir universae Antiquitatis Graecae scientiâ princeps L. C. Valckenaerius. Is igitur in Diatribe de Aristobulo Judaeo, hac in urbe Ao. 1805 a Jo. Luzacio V. Cl. editâ, Aristeam quidem nugatorem esse concessit, et auctorem fabulae, quae tamen de nihilo nasci non potuit (p. 49, 50, 54, 63, cet.); ceteroquin in eam sententiam disputavit, reverâ Aristobulum Philometori Regi suos inscripsisse Commentarios (pag. 20): porro (pag. 58) non videri sponte sua Judaeos versionem sacrorum librorum, rem a suis moribus abhorrentem, desiderasse; imo monitu Demetrii primum videri Ptolemaeum

(*q*) Hoc loco supplenda restat Bibliotheca Fabriciana, in nova edit. Vol. III p. 670.

Digitized by Google

maeum concitatum esse, ut Judaeorum quoque leges cum tot aliis Bibliothecae suae pararet; munificentissimi Regis jussui, suorum etiam Graece tantum intelligentium popularium habita fortasse quadam ratione, videri perlibenter obsecundasse Judaeos; rem, ut perficeretur, omni modo sive sub utroque, certe sub primo Ptolemaeo, curavisse Demetrium: denique (p. 58—64) tempore Ptol. Philadelphi Legem Judaicam universam, sive libros Antiqui Foederis in Canonem receptos omnes Graece fuisse conversos, non a LXXII, sed perpaucis Interpretibus. Alia quoque passim de hac versione disputavit notatu perdigna, quibus missis, illam inprimis de aequali Mosaicorum ceterorumque versione librorum sententiam quomodo contra Hodium vindicaverit, age paulo distinctius referamus.

Est autem unice sermo nobis de eâ versione Pentateuchi, quam nunc habemus. Neque enim nobis adhuc persuadere potuimus, hanc substitutam esse vel antiquiori versioni, quâ usos esse Pythagoram et Platonem, vetus Judaeorum est commentum (r), vel ipsi illi aetate compositae Philadelphi, quae Usserii fuit sententia, nondum ab omnibus repudiata (s): quamvis de interpolatione primis saeculis factâ plura etiam disputari possint (t).

In adserenda antiquitate Pentateuchi Graece redditi valde urgent diversum a reliquis libris vertendi genus. Imo affirmatâ interpretum diversitate, nondum continuo assumenda est diversitas aetatum. Sic tamen scriptores multi. Sed nos de Valckenaerio jam lo-

(r) Cf. Fabric. l. l. novae Edit. p. 659 sq. Add. Valcken. l. l. p. 46, 47, 64, cet.

(s) Neque a Reinhardo Opusc. I p. 12, vel Eichstaedio l. l. p. 60. Cf. Fabric. l. l. p. 670 sq.

(t) Cf. Aug. Pfeifferi Crit. S. l. l. apud Fabric. p. 670, sq., Valck. p. 62, 68.

loquuntur, isque potissimum duos attendit, Hodium, Hodiique adversarium Is. Vossium.

Suam Hodius de vetustate Pentateuchi sententiam cum aliunde probatum ivit, tum duplici maxime argumento usus est historico, externo altero ducto e crebris atque disertis scriptorum veterum testimoniis, (in Opere citato *de Bibliorum Textibus* Lib. II. Cap. 7), altero interno ex ipsis diversorum librorum versionibus petito, (Lib. II. Cap. 8, 9, 10). — Quod ad prius attinet, Auctores suae sententiae attulit Pseudo-Aristeam, Josephum, Philonem, Aristobulum, Rabbinos, Hieronymum. Rabbinorum diserta testimonia expendit p. 169—172. Hieronymum sub ultimum vitae tempus ad Aristeae, et Josephi, ac Rabbinorum auctoritatem se conformasse, idque diserte testatum esse, idem Hodius docet p. 174. In Aristeae autem, Aristobuli, Philonis, ac Josephi testimoniis (p. 162—169) illud maxime urget, quod ubique solius *τοῦ Νόμου Legis* Mosaicae, id est Pentateuchi Graece redditi mentionem fecerint, quem studiose semper a ceteris libris distinctum esse (p. 160—162): atque *τῆς Νομοθεσίας Legislationis*, quae nunquam totum V. T. significet (p. 163 sqq) (*u*): quod si in N. T. atque alibi *Lex* pro toto V. T. ponatur, id non factum esse ante scriptores N. T. (p. 159, 160): Josephum etiam aperte negasse, ceteros simul cum Mosaicis V. T. libros Graece exstitisse (p. 165 et 195): denique multis Christianis scriptoribus, qui in contrariam partem afferuntur, nullam esse contra tot alios antiquiores testimonii dictionem (p. 173). Atque hic summatim habes Hodianae de majori Pentateuchi prae ceteris libris vetustate sententiae illa ex priori genere argumenta, ab eo fuse explicita atque amplificata. Sequitur ut de Valckenaerio referamus.

His

(*u*) Cf. etiam Reinhardus l. c. p. 7 in f. et 8 initio.

Hic igitur (in laudata Diatribe pag. 59) quaestionem paene totam decidendam relinqui voluit Aristobulo, velut omnium illis temporibus proximo, missis Rabbinis, missis item, quamvis praeter Hieronymum cunctis ipsi faventibus, Christianis, quippe nulla antiquiorum testimonia habentibus, nisi et nobis in hac caussa superstitum quatuor Graeciensium Judaeorum. Philonem autem, concedit paulisper, de sola lege Mosis intelligendum esse. Sed quum in libris *de vita Mosis* eâ de re verba fecerit Philo, hic ceteros libros a lege Mosis sollicite distingui oportuisse, negat Valckenaerius. Et quod Hodius negaverat, ante scriptores N. T. ceteros libros sub Legis nomine esse comprehensos; Valckenaerius notat, testimonia ejus rei ex duobus tantum, Philone et Josepho, excitari potuisse; hos autem minime tam sollicitâ curâ distinxisse Legem, Prophetas, et Hagiographos — „ Ista ratione, inquit, per Legem totum librorum Sacrorum Pandecten intelligere potuit Aristeas." — Josephus autem, eodem judice Valcken. p. 60, Romanis lectoribus verba dare voluisse videtur narrando, solam Legem Mosis Graece exstare, quo majorem ipse suo libro singularis cujusdam praestantiae opinionem commendationemque conciliaret. His enarratis, quartus superest Aristobulus. Hic vero illud tenendum est, Hodium libri Aristobulei et universe tamquam spurii auctoritatem plane negasse, et locum de nostra versione Graeca ad solum Pentateuchum retulisse: ut hac certe in parte auctor iste sequendus Hodio videretur, idem, si germanus adeo Aristobuli liber esset, sententiam suam magis etiam confirmaturus. Contra Valckenaerius et germanum judicavit illum fuisse librum ejus, cujus fertur, Aristobuli, δς, ut est in Eusebio et Hieronymo, Πτολεμαίῳ τῷ Φιλομήτορι ἐξηγήσεις τῆς Μωϋσέως γραφῆς ἀνέθηκεν, *qui ad Philometorem Ptolemaeum Explanationum in Moysen Commentarios scripsit* (pag. 20); et locum de nostra versione Graeca ad universum V. T. retulit. Prius plurimis ex latissimo universae Artis

tis Criticae ambitu excitatis contra Hodium tuetur argumentis, inde a pagina Diatribes 13 passim usque ad p. 58; et notat (p. 49 in f., et p. 58), ipsum Hodium videri postea mitius de Aristobulo sensisse: posterius absolvit fere (pag. 47—51 et 61—64) simplici nudâque verborum Aristobuli, quae ipsa ab Eusebio citata apponit p. 47 et 49, interpretatione Grammaticâ. Quae sic fere se habet. Scripsit Aristobulus, jam ante Alexandri M. tempora exstitisse librorum Hebraeorum versionem Graecam, unde ad divinarum humanarumque rerum scientiam plurimum profecerit Plato; postea vero totam versionem eorum, quae lege continerentur, omnium confectam esse adjuvante Philadelpho Rege, curante Demetrio Phalereo. Haecce in eam sententiam exponit Valckenaerius, ut priorem versionem solius Pentateuchi fuisse scripserit Aristobulus, quamvis istius de Platone commenti tuendi gratiâ suo ipse ingenio hic istam versionem, quae nunquam exstitit, exstitisse confinxerit. Et solum Pentateuchum significari descriptione singulorum librorum, Exodi, Levitici, cet., qui his verbis enumerentur, existimat Valcken.: *Διηρμήνευται — τά τε κατὰ τὴν ἐξαγωγὴν τὴν ἐξ Αἰγύπτου τῶν Ἑβραίων, ἡμετέρων δὲ πολιτῶν, καὶ ἡ τῶν γεγονότων ἁπάντων αὐτοῖς ἐπιφάνεια, καὶ κράτησις τῆς χώρας, καὶ τῆς ὅλης Νομοθεσίας ἐπεξήγησις.* „ Clare satis, inquit p. 48, *τὰ κατὰ τὴν ἐξαγωγὴν* cet. Librum Moysis *Ἔξοδον* designant: cetera libros seqq. Pentateuchi: certe *τῆς ὅλης Νομοθ. ἡ ἐπεξήγ.* est *Δευτερονόμιον.* Sed librum *Geneseos* non videtur omisisse. — Videntur intercidisse quaedam Aristobuli, fortasse horum similia: *ἥ τε Γένεσις τοῦ κόσμου, τά τε κατὰ τὴν ἐξαγ.* cet." Tum huic antiquiori Pentateucho Graeco, in sequentibus verbis, opponi Valckenaerio videtur (p. 62) tota interpretatio integri voluminis sacri facta demum sub Philadelpho: quae quidem oppositio manifesto appareat maxime in verbis *ὅλη* et *πάντων.* Aristobulus, *Διηρμήνευται*, inquit, *πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως, τά τε κατὰ τὴν*

ἐξα-

ἐξαγωγὴν cet. Ἡ δ' ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ Νόμου πάντων ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως cet. In iis ἡ δ' ὅλη ἑρμην. τῶν δ. τ. N. π. supplendum monet διαπεπόνηται (p. 61): τὰ διὰ τοῦ Νόμου significare τὰ ἐν τῷ Νόμῳ paulo rariore praepositionis usu (p. 62): Latine reddit: „*Tota vero interpretatio omnium librorum in Lege*, (sive Legum divinarum Pandecte), *elaborata fuit regnante Philadelpho.*" — „Commoda fuerit (pag. 62) illa vetus nec ne, non definit Aristobulus; neque hanc illâ scribit meliorem esse: ne verbum quidem ea de re: sed partes aliquot olim versas: totam vero versionem integri voluminis Sacri factam demum sub Philadelpho." — „Ipsa monstrat oppositio, τὸν Νόμον, *Legem*, hic accipiendam latissimo sensu. Mecum sentit Is. Vossius." Denique reprehendit Hodium, qui p. 168 sic exposuerit: „exstitisse antiquitus — Graecam quamdam versionem Legis; illam vero snb Philadelpho confectam totam fuisse novam majoreque cura et studio elaboratam." „Nihil horum (sic pergit Valck.) in Aristobuleis: ne verbulum quidem, nisi *totam* in ὅλη, etsi diu quaesitum invenire potui." Cf. item p. 63, 64.

In altero argumento multam item operam posuit Hodius, (Lib. II cap. 8, 9, 10), ut ex ipsa versionum in diversis libris diversitate, ex iisdem nominibus, verbis, atque dictionibus alio atque alio modo redditis, ex citatione Philonis, ex unius alteriusque libri subscriptione, ex aliis item rationibus eam sententiam constabiliret, aliâ aetate ab aliis interpretibus non modo diversos libros, sed ejusdem quoque libri subinde diversas partes Graece esse redditas. Uni vocabulo γαισὸς integrum tribuit Caput Octavum, ut, quum hoc nonnisi post Gallorum in Graeciam et Asiam irruptiones in Graecam linguam receptum esse probasset, libri Josuae versionem post versionem Pentateuchi factam esse constaret. — Ad haec autem Valcken. paucis tantum respondit p. 62 et

63,

Digitized by Google

63, quippe qui non de versione Graeca, sed de Aristobulo versuum Orpheo aliisque suppositorum conditore Diatriben scripserit. Respondit autem sic, ut versionem V. T. a diversis quidem, quamquam perpaucis, interpretibus, eodem tamen tempore, factam esse concederet; loca vero, quibus Hodius praecipue usus est, posterorum exstitisse diceret interpolationibus. Sed operae pretium est, haec, ut ipse ait, nunc digito tantum monstrata ipsis referre Valckenaerii verbis: „ Dum, inquit, contrarium novis „ fuerit argumentis demonstratum, probabile videbitur, tempore „ Ptolemaei Philadelphi Legem Judaicam universam, sive libros „ antiqui Foederis in Canonem receptos, omnes Graece fuisse „ conversos, non a LXXII, sed perpaucis Interpretibus. Easdem „ versiones plerasque esse, quas nos legimus, non temere dixe- „ rim. Et supersunt in his rebus tam saepe jam retractatis multa „ tamen ante peragenda, quam ad liquidum omnes deduci possint. „ Nihil ad hanc disputationem facit, ex documentis probabilibus „ aliis, et ex stylo, quem unusquisque semper habemus proprium, „ definivisse, quot numero fuerint illi pauci, quibus Librorum „ Hebraeorum versiones nobis superstites debeantur; quod arbitror „ equidem fieri posse. Sed illud hinc non alienum est dixisse, „ versiones etiam istius quas habemus aevi superstites, omnes non „ vitiosissimas tantum, sed mirum in modum primum a Judaeis, „ deinceps a Christianis correctoribus fuisse interpolatas. Hoc „ minime novum accidet in hac exercitatis palaestra; novis tamen „ documentis haud paucis a me posset demonstrari. Cui uni om- „ nium interpolationes istae debuerunt esse notissimae, Hodium „ demiror, ob unicam vocem γαισὸς in libro Josuae repertam, „ tam prolixam instituisse Disputationem L. II Cap. VIII, qua „ suam nobis in quibusvis scriptoribus legendis diligentiam demon- „ stravit, non quod se facturum receperat. L. II, Cap. IX ad- „ stipulatur Hodius Usserio, propter additamentum ad librum Es-

 the-

„ therae suspicato, versionem istius libri factam sub Ptolem. Phi-
„ lometore. Ne hoc quidem argumentum arbitror sat firmum. Ad-
„ ditamenta, quae Graecae fuerunt Estherae versioni interserta, illa
„ debentur istius temporis Judaeo, eidem, ni fallor, qui nobis
„ historiam scripsit superstitem sub nomine Libri III Maccabaeo-
„ rum." (Cf. item p. 33). „ Circa eadem haec tempora pleraque
„ condita sunt a Judaeis, saepe nugatoribus, aliis etiam libris di-
„ vinis vel addita vel interjecta, quae nunquam in scriptis fuere
„ Hebraicis. Haec si ejicias ex libro Graeco Ezrae, qui ponitur
„ inter Apocryphos, quod remanebit erit Graeca versio de Chal-
„ daicis Ezrae facta, versione omnibus notâ certe magis Graeca,
„ et melior, nisi quod haec additamentis est Judaei recentioris de-
„ formata" (Cf. item Valcken. ad Herodot. L. IV. Cap. 198. Se-
gaar Animadverss. in Danielem secundum LXX. p. 2, 3). „ Du-
plicem habemus Ezrae versionem; forsan in diversis Codd. etiam
duplicem libri Judicum, certe Cantici Habacuci III." Vid. item
p. 32 et 38, 39, coll. p. 34 in fine.

His relatis, eruditis lectoribus optionem relinquimus, utram sen-
tentiam sequi malint. Quodsi Valckenaerius id egisset, ut poste-
rius Hodii argumentum eâdem, qua prius, eruditionis copiâ atque
enarrandi diligentiâ confutaret, res aliquanto magis illâ haud levi,
quam etiamnum habet, dubitatione careret. Etenim, Josephum ut
mittamus, Philonem tamen et Aristeam nemo negabit in Hodianam
sententiam accipi posse. Et Hieronymus reapse verborum Aristeae
hunc sensum fuisse putavit, quamquam judicio occupato, fateor,
a Josepho et Rabbinis. Porro quis probet, illa ab Hodio adhibita
e ceteris libris loca a posteris omnia, ut vult Valcken., esse con-
ficta? Et quum verum omne suâ se simplicitate commendare so-
leat, videri quoque possit alicui hic nimius forte cumulari argumen-
torum apparatus; nisi tamen in hac antiquitatis testimoniorum pe-
nuriâ omnino multis variisque ea quaestio esset implicita nodis, et

idem

Digitized by Google

idem multo etiam magis in Hodium dici posset, qui suâ illâ copiâ effecit, ut adversarius paucis rem conficere omnino non potuisset. Neque vero haec ita ponimus, quasi nobis arbitrium arrogemus, aut quasi paene religio non sit dissentire a Valckenaerio, quem, quodcunque hac in caussa cum Aristobulo conjunctum esset, omnino ad liquidum perduxisse putamus, et quo nemo unquam fuit istarum rerum peritior judex: verum illud intelligi velim, caussam esse ejusmodi, quae ne ipsi quidem Valckenaerio pertractata videretur, unde ipse eam adhuc paulisper relinquere maluisset. Scripsit enim p. 58 in fine: „ubi video mihi dissentiendum ab hominibus eruditissimis, Usserio, Salmasio, ceterisque ab Hodio laudatis L. II. c. 7, mallem equidem de sententiâ dicere Aristobuli, quam de re ipsâ; sed haec adeo secum invicem cohaerent, ut separari vix possint." et pag. 62. „Dum itaque contrarium novis fuerit argumentis demonstratum, probabile videbitur": denique paulo infra: „Et supersunt in his rebus tam saepe jam retractatis multa tamen ante peragenda, quam ad liquidum omnes deduci possint."

Verum ab hoc loco, in quem nos longius abduxit summorum ingeniorum uberrimaeque doctrinae admiratio, jam discedamus, et ad Versionis quo demum cunque modo natae sequentem aetatem pergamus.

Ceterum de vertendi genere his Interpretibus proprio non est, quod multa dicamus, quandoquidem plurimi viri docti dudum docuerunt, illud esse minime elegans, subinde vero in locis difficilioribus satis vagum, incertum, atque universe Versionem illam multo minus ob internam praestantiam, quam ob externas caussas tanti, quanti nunc merito habetur, habendam esse momenti. Pentateuchi quidem, sive librorum Mosaicorum Versio praefertur ceteris. De codicibus autem Hebraeis in Pentateucho Graeco expressis infra dicendi locus erit § 14.

Hujus Versionis publica privataque lectio inter Judaeos mature fre-

frequentari magis magisque coepit. Deinde exortâ Christianâ religione, ac pereunte linguâ Hebraeâ, inter Judaeos sensim sensimque posthabita aliis magis etiam ad ipsorum ingenium apparatis, sola viguit usu omnium Christianorum, Graecis quidem ipsâ Graecâ, Latinis aliisque in suas quibusque linguas denuo conversâ utentibus. In Latina Ecclesia inde a Saec. V ineunte novae Versioni ex Hebraeo factae locum cedere debuit, multa tamen sui vestigia reliquit. Sed hanc vim habuit opera Criticorum, qui jam antea Graecae Versionis sensim sensimque corruptae remedia ex Hebraeo Codice petiissent. Nempe Saeculo III invaluerant in his libris studia Artis Criticae, quorum initia et successionem porro explicabimus.

§. 5. *De Arte Critica in V. T. Graeco emendando usurpata inde ab Origene usque ad Editores Complutenses, Saec. post Chr.* III *usque ad Saec.* XVI.

De his studiis ante Saeculum a Christo nato tertium illud unum ponimus, exstitisse Saec. II, ac forte ineunte III, qui, sive quod multa vitiosa ferrentur hujus Versionis exempla, sive quod eam universe minus probarent, novas ipsi conficerent Versiones, Aquilam, Theodotionem, Symmachum, alios. Qui vero ipsam Versionem ad Artis Criticae normam tractaret, primus et praecipuus fuit Origenes, Saec. III, Presbyter Alexandrinus, vir in paucis magnus, idemque perperitus et universae Criticae, et linguae Hebraicae. Hic, collatis libris Hebraicis, et ceteris illis Versionibus Graecis, Alexandrinam, id est hanc vulgarem, Versionem recensuit, loca desiderata ac superflua certis signis notavit, Hebraica et ceteras Versiones juxta apposuit, omnia Scholiis et Praefationibus instruxit, summa religione in hac caussa versatus, nil sine testibus novans: idemque in Palaestina hanc recensionem consignavit opere sex columnis distincto, cui nomen inde fuit Hexapla. (Plura notabimus infra § 23, 24).

Prox-

Proxime subsequenti aetate simile studium fuit in nova Veteris Novique sacri Codicis Graeci recensione paranda et Luciani Antiocheni, et Hesychii Alexandrini. In simili caussa versari perobscura est memoria (y) Joannis cujusdam Josephi. At horum operis nihil, Origeniani parum ad nos pervenit. Et parum aberat, quin Origenis quoque totum illud aeternitate dignum opus temporum injuriâ et hominum socordiâ penitus intercidisset, nisi ineunte Saec. IV egregium amicorum par Pamphilus et Eusebius unam certe partem, emendatam Versionem Alexandrinam, in lucem protraxissent, ac deinceps describendam proposuissent, annotata subinde ceterarum Versionum diversitate. Atque hinc veteris Ecclesiae Doctores hujus interpretum diversitatis passim rationem habuerunt. Ipsum Hexaplorum opus Hieronymus quoque tractavit; ceteri satis habuisse videntur delectu Eusebiano uti; nonnulli, in his Basilius Caesareensis, diligenter providerunt, ne Codices deessent, qui recensionem vel Origenis, vel Luciani aut Hesychii exacte repraesentarent. In hanc enim sententiam, non de peculiari Basilii editione, verba Georgii Syncelli acceperim. Cf. Hodius p. 315. Praeterea aliae deinceps lectiones in margine Codicum additae sunt, ex Hieronymi Versione Hebraei Testamenti, et aliunde repetitae. Hae erant doctiorum curae. Nam quum postea librarii, ut fit, omnia denuo perturbassent, non videntur novi integrae scripturae vindices prodiisse, ingeniis aut semper multis nescio cujus rixosae ac sordidae, quam elegantis accurataeque Theologiae amantioribus, aut medio aevo cunctis omnium literarum ignorantiâ exstinctis.

Neque aliarum linguarum Versionibus ex Graeca factis Critici prorsus defuerunt, nonnulli tamen subinde minus acuti, alii tantum popularibus usibus intenti. Aegyptiacam utramque, id est Copticam

(cu-

(y) Cf. Hodius p. 929. le Long Bibl. Sacr. ed. Masch. P. II. Vol. II § XLVIII pag. 260.

(cujus denuo Arabica versio exstat), et Sahidicam II et III Saeculo jam exstitisse, censuit Woidius et Munterus (*w*). Aethiopica facta est Saec. IV (*x*). Armenica Saec. V (*y*). Georgiana Saec. VI (*z*). Syriacae complures: ea, quae Figurata vulgo dicitur, facta est aliquot post Chr. Saeculis, a Jacobo Edesseno recensita ineunte Saec. VIII (*a*): alia Psalmorum, et Jesaiae, auctore Philoxeno et Polycarpo ineunte Saec. VI (*b*): alia Mar — Abbae Saec. VI (*c*): alia Psalmorum, auctore Simeone Abbate, incertae aetatis (*d*): alia denique Karkaphensis quorumdam Nestorianorum (*e*). Arabicae item plerorumque librorum ex Graeca factae sunt Versiones, quarum incerta est aetas (*f*). Slavonica facta est Saec. IX. Hujus quidem sententiae auctor Kohlius citatur Eichhornio (*g*). De Altera sententia infra dicemus § 22. Anglosaxonica facta est Saec. X (*h*). Veterem Latinam dubium quando, certe non diu ante Saec. III, factam Hieronymus exeunte Saec. IV ad Origenis Hexapla conformavit. Sed hanc mox in perpetuum abrogavit nova Hieronymi ex Hebraeo facta Versio (*i*). Saec. VII Paulus Telae Episcopus editionem Hexaplarem ex Graeco Syriace reddidit (*k*). Hanc Syriacam denuo Arabice reddidit Saec. XV Hareth Ben Senân (*l*).

Ceterum frequens ἀκρίβεια obtinuit in Versione Syriaca simplici (*m*), aliisque ex ipso Hebraeo factis ad Versionis Graecae habitum

(*w*) Cf. Eichhornii Introd. § 316, et § 301. b.

(*x*) Idem § 309.

(*y*) Id. § 306.

(*z*) Id. § 318. b. (Tom. IV Ed. Belg.). In Edit. Germ. 3ª. multa de hac Versione addita sunt.

(*a*) Id § 260, et 268. at Cf. item Tom. IV p. 43, 44 Ed. Belg. (In Ed. Germ. 3ª. Tom. I p. 500—523, et 554).

(*b*) Id. § 266. (De Jesaia Ed. Germ. 3ª.).

(*c*) Id. § 267.

(*d*) Id. § 271.

(*e*) Id. § 272.

(*f*) Id. § 295 sqq.

(*g*) Id. § 318.

(*h*) Id. § 318. c. (Tom. IV. Ed. Belg.)

(*i*) Id. § 322, 328, 329, 330, 332, 334.

(*k*) Id. § 263.

(*l*) Id. § 294. c.

(*m*) Id. § 251, 283, alibi.

Digitized by Google

rum detorquendis. Vicissim Versiones e Graeca factae saepius aliunde mutatae sunt (n). Atque universae Criticae cum ipsa ratio illis temporibus adhuc fluctuaret, tum fructus magnam partem intercepti sunt interitu Hexaplorum, insolentiaque Pseudo Criticorum. Unde recentiori aetate Emendatio Versionis Graecae denuo tota suscipienda fuit, et omnino valde difficilis evasit. Itaque porro videamus, a quibus initiis profecta recentior Crisis quousque jam pervenerit.

CAP. I

PARS ALTERA.

Historia Nova.

§. 6. *De conditione ejusdem Artis inde ab Editione Complutensi usque ad Grabium, Saec.* XVI *et* XVII.

Inventâ Typographiâ, ac restitutis Saec. maxime XVI bonarum literarum studiis, coeperunt Versionis hujus Editiones novae frequentari, atque ad easdem perficiendas identidem majores curae conferri. Psalmis jam antea editis, totius Versionis tres hoc saeculo prodierunt primariae Editiones, e quibus omnes magno numero reliquae ductae sunt ad initium usque Saeculi XVIII. Primariae autem Editiones ad hunc usque diem exstant quinque, Complutensis, Aldina, Vaticana, Grabiana, inchoata Holmesiana. Prima fuit Complutensis. Nam quum Fr. Ximenius, Cardinalis, Ao. 1502 sacros

(*n*) Id. § 308, 327, alibi.

sacros libros Hebraice, Graece, et Latine edendos decrevisset, multi viri docti Compluti in Hispania congregati per 15 fere annos hanc Editionem Ximenii auspiciis elaboraverunt. Eodem circiter tempore utrumque Sacrum Codicem Graece Venetiis edidit Ald. Manutius, operâ usus Andr. Asulani. Tertiae parandae auctor fuit Sixtus V Pontifex, unde, Ant. Carafa, Cardinale, per 8 annos editorum studia moderante, Editio Romae prodiit Ao. 1587. Singularum Editores universe professi sunt, eas e plurimis et optimis Codicibus Manuscriptis ductas esse (*): Romanam quidem maxime e vetustissimo Vaticano. — Ex Complutensi Aldinave repetitis Editionibus aliquid variae lectionis adjectum est hisce, Argentinensi Jo. Loniceri Ao. 1526, Basileensi 1545, Antverpiensi Polyglottorum 1569, Francofurtensi 1597. Singularis libri, Jesaiae, novum textum paulo ante Parisiis edidit Jo. Curterius e Codice, quem nota praefixa indicat esse Hexaplarem (o): et ex quo postea Ao. 1636 IV Hoseae Capita ibidem edidit Jo. Philippaeus, Jesuita. Exeunte Saeculo item conquirendis Aquilae et ceterorum Interpretum Graecorum fragmentis operam huic etiam Versioni utilissimam navarunt viri docti, Petrus Morinus Flaminiusque Nobilius Romae, et princeps Jo. Drusius, Belga. Ao. autem 1574 per Andr. Masium innotescere coepit Recensionis Hexaplaris Versio Syriaca. — Atque haec erant, in duabus publice, unâ privatim, procuratis perbonis Editionibus, recentioris horum librorum Criseos initia, rudiora quidem ac tenuiora, attamen, si cum primis multorum Veterum Auctorum Editionibus comparentur, egregia et auspicata. Sed in reliquis auctoribus ampliorem campum nacta Critica in dies majora multo incrementa cepit; in his libris jam paulo tardius proces-

(*) Vide § 23.

(o) Una cum Procopii Gazaei Commentarlo in Jesaiam, Ao. 1580. Cf. Hodius p. 597 sq.

Digitized by Google

cessit, sive Artis ipsius difficultate, sive hominum in eam iniquitate. Quo pertinet id quod Claud. Sarravius in Epist. 189 scripsit de Frontone Ducaeo, Jesuita Burdegalensi, Patribus tractandis nomen adepto. Is enim altero decennio Saeculi XVII novam Editionem e Cottoniano aliisque Codicibus Graecis paraturus a Bibliothecae Vaticanae Custodibus propositum deserere jussus est, ac Romam mittere, quaecunque jam sibi parata haberet: cui mandato parere debuit. (Cf. item Grabius Ep. ad Mill. p. 2. Fabricii Biblioth. Gr. Vol. II. p. 328, edit. novae Vol. III. p. 685: et le Long Bibl. Sacr. edit. Masch. P. II. Vol. II. p. 304). Mox simile consilium frustratum est Patricii Junii, Britanni. Nam quum Ao. 1628 (*p*) novum egregiumque Criticae instrumentum contigisset, antiquissimus codex, qui vulgo dicitur Alexandrinus, a Patriarcha CPolitano Regi Angliae dono missus, continuo de integro isto Codice edendo cogitarunt Britanni. Junii autem collationem hujus Codicis, Commentariumque in priores libros Versionis Graecae, medio Saec. XVII ab Alex. Huisso repetitam edidit Waltonus in Opere Polyglotto. Jobum ex hoc Codice ipse jam ediderat Junius Ao. 1637, uti 50 post annis in Psalmis fecit, negligenter tamen, Th. Galeus. Mox integrum codicem edendum denuo commiserunt Fellus et Pearsonus Episcopi Thomae Smitho. Sed res intermissa est usque ad Grabium. Cf. hujus Prolegom. Cap. II. § 1. Interim Waltonus cum ex Junii, tum ex ipse suo apparatu permulta his libris reformandis subsidia suppeditavit, edendis in Opere Polyglotto variis lectionibus nonnullorum Graecae Versionis, (in toto V. T. Alexandrini, in Octateucho Oxoniensis, in nonnullis Pentateuchi partibus Cottoniani, et Sarraviani, in Paralipomenis Cantabrigiensis, in Prophetis minoribus Barberiniani, in aliis libris aliorum jam antea collatorum), ac duorum Pentateuchi Hexaplaris Arabice redi-

(*p*) Vid. Woidii Praefat. Sect. II § 15.

dici Codicum MSS, item repetendis e Jo. Morini Opere Polygloto paulo ante Parisiis confecto Prophetarum et plerorumque Hagiographorum versionibus Arabicis ex Graeca factis. Paulo ante (ao. 1655) in eadem Britannia Jac. Usserius libri Estherae editionem Origenicam et veterem Graecam alteram ex Arundelliana Bibliotheca in lucem produxerat.

Itaque non parum e Codicibus profecerant Editores ad hos libros restituendos. Verum neque illa neglecta sunt reliqua, quae supra § 1. enumeravimus, emendandi instrumenta. Haec autem qualia ista aetate suppeterent, item verbo indicandum est.

Locis similibus nunc inhaerere non est opus, quum horum recta scriptura ex ipsius editionis bonitate penderet. Rationem eorum, praeter ipsos Editores, ne de aliis dicam Lud. Cappellus habuit in Crit. Sacra Lib. I. Cap. 13 atque alibi. — Codex autem Hebraeus inde ab inventa Typographia eruditorum manibus terebatur, e cujus Editione Brixiensi, et Bombergii Venetâ reliquae fere omnes manaverant. Norunt omnes, hujus libros MSS. quippe a Judaeis ad Masorae normam exactos omni fere graviore lectionum varietate carere. Exstabant tamen Saec. XV Editiones qualicunque varietate notabiles. Accedebat Saec. XVII eximium varietatis Hebraeae promtuarium, Codex Pentateuchi Samaritanus. Suppetebant denique et ipsa Masora, et versiones praeter Graecam aliae ex ipso Hebraeo ductae. Et strenue urgebat in Hebraicis emendandis horum subsidiorum usum Ludov. inprimis Cappellus. Verum et tunc, et diu postea praevaluit Criticae inimica superstitio Judaica a Buxtorfiis maxime, doctissimis ceteroquin hominibus propugnata. At eo magis e recensione Hebraei Codicis vulgari Versionem Graecam mutandam esse censebant. — Versionum e Graeca factarum partes typis editae erant illae. Latinae Veteris Psalmi Saec. XVI, Jobus et Psalmi Hexaplares, et pauca alia

Saec.

Saec. XVII (q). Aethiopicae Psalmi et Salomonis Canticum Saec. XVI, repetita Ao. 1701 cum variis lectt.; Libri nonnullorum minorum Prophetarum, Ruthae, et 4 Geneseos Capita, Saec. XVII (r). Armenica, sed ad Romanam vulgatam refecta Saec. XVII (s). Syriacae Hexaplaris Josua tantummodo Latine a Masio editus Saec. XVI (t). Arabicae libri Prophetarum et plerique Hagiographi in Polyglottis Saec. XVII, Psalmi Saec. XVII; Hexaplaris e Syriacâ Arabicae varietas Pentateuchi in Polyglottis Waltoni Saec. XVII (u). Slavonica Saec. XVI (v). Anglosaxonicae (w) Psalterium et alia quaedam Saec. XVII. Hae igitur erant sola Armenica et Slavonica totae, paucis intellectae, ceterarum tantummodo minores partes. Desiderabatur pars major plerarumque, desiderabatur utraque Aegyptiaca, Syriacae pene cunctae, Arabicae complures, Georgiana tota; desiderabatur omnium emendata scriptura, et accurata notitia. — Ecclesiae Patres plerique editi illi quidem erant jam Saec. XVI. Sed quum judicium de lectionibus Sacri Codicis a Patribus citatis et alias cautiones habeat, et illam inprimis, ut videamus, qua fide Editores Patrum usi sint in citatis e S. Codice locis edendis (x), latam eo in genere erro-

tir

(q) Cf. nova edit. Fabric l. c. p. 717 nota n. Eichhorn. Introd. § 326.

(r) Eichh. Introd. § 311. (s) Id. § 308.

(t) Id. § 264. (u) Id. § 295, 296, 298, 294 c.

(v) Id. § 318. (w) Id § 318. c. (Tomo IV Ed. Belg).

(x) Cf. Ernesti Instit. Interp. P. III c. V § 12—18, et alii, quos laudavit Jo. van Voorst Vir Cl. in Orat. *de Scriptorum veterum Christianorum studio prudenter ac liberaliter excolendo* Leidae habitâ Ao. 1799 p. 36, 37. Addantur Schleusneri Viri Cl. *Observatt. de Patr. Gr. auctoritate* cet. inter ejus *Opusc. Critica ad verss. Gr. V. T. pertinentia* Lipsiae A. 1812 edita pag. 1—74, inprimis p. 26, 27. Cf. etiam Jod. Heringa V. Cl. in Disput. Haganâ *de usu et abusu Criticae Sacrae* p. 169—175.

ribus viam aperuit perversa ratio multorum Editorum, qui haec loca in Patribus ad Romanas Editiones commutarunt. — Conjecturae ut in Hebraeo Codice magnam cautionem habent, si nulla Versio suffragetur; at Graecâ aliâve Versione suffragante saepius recte fieri possunt: ita in Graeca Versione regi et probari debent testimonio Codicis Hebraei: nisi forte geminis conjecturis et Hebraei et Graeci Codicis gemina vitia emendentur, quod tamen, si modo unquam, perraro fieri posse, res ipsa loquitur. Conjecturas autem de locis Graecae Versionis et alii fecerunt, et L. Cappellus in Crit. S. L. IV. Cap. 18. — Denique quum Disciplina Criticorum eâ aetate universe, et in Novo quoque Test, fere solo usu, nullis praeceptis contineretur, ratio illis in hac tractandâ Versione probata maxime ex modo ipsarum Editionum cognoscenda est. Et quamvis saepe iis, quae Hebraicam referrent, lectionibus nimis adhaerescerent, in eoque rationem Origenianam pressius, quam suae conveniret aetati, imitarentur, tamen plerumque ipsos MSS. Codices sequendos esse ducebant. In aliquo autem Codice aestimando attenderunt tum ad antiquitatem Codicis, tum ad frequentem ei cum aliis Codicibus, et cum Patribus consensum; quod Editores Vaticani Codicis in Praef. suâ satis diserte professi sunt. Ao. autem 1665 amplius quiddam spectabat Jo. Pearsonus (y), quum diceret, omnes Codices excutiendos, eosque non solum cum Hebraeo, sed etiam cum Philone ac Josepho, vetustissimisque Patribus, et Lexicographis Graecis comparandos esse. Quaenam hac aetate de diversis Codicibus in sua genera distribuendis sententia invaluerit, infra dicemus § 23. Ceterum quod diximus de praeceptis adhuc desideratis, ne quis perperam accipiat, id maxime pertinet ad hanc Versionem, et ad certarum emendandi regularum ordinatam praeceptionem. Nam variarum lectionum in Hebraeo quidem

(y) In fine Praefat. Edit. Cantabrig.

dem Codice multas caussas indagavit Cappellus in Critica Sacra passim, earum autem, quas Versio Graeca expressit, in Libro V. Illa erat in his libris conditio Artis Criticae, haec subsidia exstabant ejus porro excolendae. Varia autem paulatim, inprimis Saec. XVII, momenta accesserant ad hominum studia erga eam augenda. Nam quum hoc Saeculo in Graecis Latinisque scriptoribus tractandis Scaligeri, Casauboni, Valesii, Gronovii, Heinsii, alii, universam Critices rationem antea inchoatam felicissime exornassent, factum est, ut ejusdem et ad Sacrum Codicem adhibendae magis magisque studium frequentaretur (z), et in eo bene exercendae ab illis viris exemplum repeteretur. Unde hoc Saeculo jamjam ad finem vergente, et his, et aliis (a) de caussis in Britannia auctor Fellus Jo. Millio exstitit ad laboriosam illam Novi Testamenti Crisin capessendam, cujus inde a Millio nova aetas incepit. Et modo diximus de Schola Cappellana. Praeterea totam hujus Versionis caussam identidem viri docti amplius tractaverunt. Etenim hoc demum Saeculo, Versionis Alexandrinae amplissimum in interpretando Novo Test. usum futuris Interpretibus certissime persuasit eorum primarius dux et magister H. Grotius (b). Tum ut Kircheri opus taceam, de universa dictione Hebraeo Graeca operosae disputationes increbruerunt (c). Ipsa origo, et omnino antiquior historia hujus Versionis insigniter illustrata est, quo in genere inprimis excelluit is, de quo jam plura diximus, Humfr. Hodius. Porro

caus-

(z) Vid. Cappell. in ultimo Capite Criticae S.

(a) Cf. Ernesti Instit. Int P. III c. VI § 83 (edit. 4).

(b) Cf. Ernest. l. c. P. III c. 7 § 4 et c. 9 § 36 (ed. 4). Morus in Acroas. II. 66 et 298. Car. Segaar Orat. *de H. Grotio — Interprete* Trai. ad Rh. 1785 p 40, 41. Jo. van Voorst Orat. *de J. A. Ernestio* L. B. 1804 p. 8, 22.

(c) Factum id est inprimis per lites hoc Saec. agitatas de Hellenistis linguaque Hellenistica, et de stilo N. T.

caussa diversitatis Versionis Graecae ab Hebraeo Codice magis, in libris certe Mosaicis, intelligi coepit notandâ multiplice Pentateuchi Graeci cum reperto nuper Samaritano convenientiâ. Quum Jo. autem Morinus aliique praesertim in Gallia viri docti (*d*) hujus lectiones Masorethicis praeferendas dictitarent, non poterant non majus item pretium statuere Versioni Graecae. Imo Is. Vossius et ipsam Versionem contendit ex intaminatis codicibus Hebraeis factam esse, quam adeo *divinitus inspiratam appellare non dubitaret* (*de Translat.* LXX *Intpp.* Cap. 25), et scripturam ejus hodieque tam prope integram superesse, ut vix e tota antiquitate scriptor ullus hoc nomine cum illa comparari possit. (Dissertt. *de* LXX *Intpp* p. 294 coll. p. 17). At eâ aetate cui sic scribere luberet, debitâ vituperatione carere non potuit.

Itaque res eo pervenerat, ut qui data opera hanc Versionem denuo emendandam susciperet, ab omnibus vehementer exoptaretur (*e*). Et quum eorum, quos paulo ante (p. 25) nominavimus, consilia irrita cecidissent, Jo. Pearsonus (*f*) in fine luculentae Praefationis (ad Edit. Cantabr.), in qua magnos hujus Versionis in Theologia usus explicuit, publice optaverat, ut Is. Vossius spem, quam fecerat, novae Editionis expleret (*g*). Verum novus Editor novi de-

(*d*) Cf. Carpzov. Crit S. p. 608.

(*e*) Magno hujus rei desiderio priore jam Saeculi parte tenebatur Cappellus Crit. S. L IV Cap. 18 § 7, L. VI Cap. 10 § 8, 9.

(*f*) Qui singularem hujus eruditissimi Theologi praestantiam eleganti brevitate declaratam videre cupit, legat Viri Cl. J. G. Te Water Orationem *de Theologo Erudito* Leidae habitam 1790 pag. 61.

(*g*) Scripsit Fabric. Vol II p. 329, Colomesium quoque e Codd. et Patr. novam editionem parare voluisse. Sed e Colomesii verbis non apparet, eum aliis subsidiis quam locis parallelis uti voluisse. In supplemento nunc novae editioni (III 686) addito Fabricius notavit, praeterea olim unum et alterum de Versione denuo edenda cogitasse.

Digitized by Google

demum initio Saeculi in Britannia his studiis florentissima insula exstitit Jo. Ern. Grabius.

§. 7. *De aetate ejusdem, inde a Grabio usque ad Holmesium, Saeculo* XVIII.

Hic enim in antiquioris aetatis Christianae scriptoribus versatissimus vir, gente Borussus, postquam relicta patria Ecclesia ad Anglicanam se contulerat (*h*), Annae Reginae, Procerum, atque Episcoporum munificentia et patrocinio sustentatus (*i*) novam Versionis Graecae molitus est Recensionem, ductam inprimis e Codice, quem Britanni dudum edi voluerant, Alexandrino. Primo edidit Epistolam ad Jo. Millium Oxonii A. 1705, qua et alia huc pertinentia, et illud inprimis disseruit, ipsorum Interpretum versionem libri Judicum in Cod. Alex. servatam esse, eundem vero librum in Cod. Vaticano recensionis esse Hesychianae. Tum Ao. 1707 Tomum I operis sui edidit, Octateuchum, sive libros Mosis, Josuae, Judicum, et Ruthae. Huic praemisit satis ampla Prolegomena de Codice Alex., de Editione sua, de superioribus Editionibus, scriptisque Codicibus Octateuchi, de locis per conjecturam emendandis. Nempe sibi proposuerat recensionem ejusmodi, quae, quoad ejus fieri posset, repraesentaret Origenianam: quod ita se optime effecturum putabat, si fundamenti loco poneret scripturam Codicis Alex., eamque, ubi opus esset, corrigeret, transponeret, suppleret, mutationesque certis quasque signis indicaret, earum caussas atque fontes fusius declaraturus in peculiari Annotationum libro post absolutum opus edendo. In mutationibus multam rationem habuit Codicis Hebraei, praecipuam vero Philonis, ac Pa-

trum.

(*h*) Vid. J. G. de Chaufepié in Novo Dictionario Historico Tomo II.
(*i*) Vid. ipse Grab. in Proleg. ad Octat. Cap. II §. 1 et Cap. IV §. 4.

trum, et eorum qui ante Origenem, et qui post hunc fuerunt, tum vero Codicum MSS., ex quibus horum in Octateucho collatam scripturam habuit, Editionum superiorum cum aliarum, tum trium illarum principum; praeterea Codicis ex Waltoni opere jam cogniti, Sarraviani, sed denuo collati; item nondum antea collati Colbertini, qui pars olim fuit Sarraviani; porro Codicum, ex Waltono cognitorum, sed denuo collatorum, Cottoniani, et Oxoniensis, et ambotum Pentateuchi Arabicorum: denique nondum collatorum quatuor Parisiensium, et Lectionarii Bodleiani. Duobus post annis (1709), intereadum Historicorum et Prophetarum plures etiam Codices exspectabat, edidit Psalmos, Jobum, tres Salomonis libros. Sequenti anno (1710) Disputationem edidit *de variis vitiis LXX Intpp. versioni ante B. Origenis aevum illatis, et remediis ab ipso Hexaplari ejusdem versionis Editione adhibitis, deque hujus Edit. reliquiis tam MSS. quam prelo excusis.* Editioni intermortuus est Ao. 1711, unde Annotationes ineditae manserunt, quod eo magis dolendum, quoniam passim plura mutaverat, de quibus in ipsa Editione nil monuerat. Annotationes ex schedis ejus erutas ad Caput Geneseos XLIX Ao. 1779 Brunsius edidit in Repertorio Eichhorniano Tomo IV. p. 1—40. Reliquam Versionis partem e Codice Alex. duobus Tomis Ao. 1719 et 1720 edidit Franciscus Lee, et item alius, cujus nomen ignoratur. In Editione sua Grabius curanda nimium fortasse tribuit cum integritati Codicis, qualis nunc est, Hebraei, tum Codicibus iis, quos signis Origenianis instructos Origenis recensionem adhuc servare putabat. Quippe et his magna cum cautione ad reperiendam recensionem illam utendum est, et ex praesenti scripturâ Codicis Hebraei minime concludere licet, eandem fuisse in libris Hebraeis Origenianis. Utcunque sit, multum novae lucis per Grabii Editionem apparuit; quae tamen multo plenior apparuisset, si ipse suam Editionem absolvere potuisset. Sed immaturus Grabii obi-

tus

tus spem valde desideratae Editionis, e certis cognitisque fontibus ductae, magnam partem frustravit.

Licet nobis de secundariis editionibus disserere non sit propositum, duae tamen ex hac aetate verbo memorandae sunt, quarum alterutrâ plerique vulgo utuntur. Altera est Graece doctissimi viri Lamberti Bosii Franequerana Anni 1709 ducta ex Edit. Romana, quod tamen fortasse de exemplo ejus Polyglotto accipiendum est; instructa Prolegomenis, et insigni lectionum varietate ex omni superiorum Editionum apparatu repetitâ. Altera est Jo. Jac. Breitingeri Tigurina Anni 1730 sqq. 4 tomis Grabianam referens nonnihil mutatam, cum annotata varietate Editionis Romanae. Idem Ao. 1748 Epistolam edidit de Turicensi Psalmorum Codice Graeco.

Sed praecipuum momentum Graecae Versioni critice tractandae addidit Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus, edendo Parisiis Ao. 1713 a voluminibus Hexaplari Origenis opere e Codd. ac Patribus quoad ejus fieri posset instaurato: cujus negotii, ut supra (p. 24) diximus, prima fundamenta jecerant Editores Romani, et Jo. Drusius. Idem Ao. 1715 descriptionem, et nonnullam lectionis varietatem edidit quorumdam Codicum Versionis Graecae Coislinianorum, de quibus infra sermo erit § 25. Montfauconiano, quamvis minime omnibus numeris perfecto, at laboriosissimo tamen et utilissimo Origenisque memoriâ digno operi meritissimas laudes tribuit Morus in Acroas. II 138; quo magis vituperandus est Bahrdtius, qui illud postea temere mutilaverit. Etenim in introitu operis totam Hexaplorum caussam egregie ac fuse illustravit: tum quotquot reperiri poterant ceterorum Interpretum fragmenta suis quaeque locis ordinatim disposuit: denique in Annotatione singulis capitibus subjectâ cujusque lectionis sedem atque caussam accurate et perspicue declaravit. Codices autem eos tantum compendii caussa notamus, quibus in Pentateucho usus est. Nam, ne de

Patribus dicam, praeter alia notata MSS., in Genesi fuerunt 5 Codices Regii Parisienses, Codex Colbertinus, Coislinianus, partim Codex Basilii Romanus. In Exodo Codd. Reg. Paris. partim iidem, partim alii, quinque; Codex Basiliensis, duo Colbertini, Coislinianus. In Levitico tres Regii Paris., Basiliensis, Colbertinus, Coislinianus. Totidem, iidem plerique, in Numeris. In Deuteron. 3. Reg. Paris., Coislinianus.

Ut redeamus ad ipsam Versionem Gr., novas deinceps unius alteriusque libri Editiones protulit haec aetas. Quarum prima fuit Jos. Blanchinii, qui Romae A. 1740 Psalterium edidit e Codice Veronensi. Ao. 1767 sq. Leviticum et Numeros, Exodi et Deuteronomii particulam e Codice Lipsiensi edidit Jo. Fred. Fischerus. Denique, quum Danielis liber adhuc ex unius versione Theodotionis Graece legeretur, Ao. 1772 Romae prodiit *Daniel secundum LXX ex Tetraplis Origenis nunc primum editus* e vetustissimo Codice Chisiano, quem librum, et alia inedita complexum, edidit Simon de Magistris. Ex hoc libro versionem Danielis Alexandrinam brevi post recudi jusserunt Viri Clarissimi, in Germania Michaelis, in Belgio suis animadversionibus auctam Carolus Segaar.

Versionis Copticae Pentateuchum Ao. 1731 Londini edidit Davides Wilkinsius (*k*). De Veteris versionis Latinae fragmentis decem circiter post annis bene meriti sunt Blanchinius et Sabatierius (*l*). Versio Georgiana Ao. 1743 Moscoviae typis edita est (*m*). Arabicum Psalterium Londini A. 1725, et alibi postea editum est (*n*).

Novae item Scriptorum quorumdam Ecclesiasticorum prodierunt Edi-

(*k*) Cf. Eichh. Vol. I § 313. (*l*) Id. § 326.
(*m*) Id. Tom. IV p. 54 Ed. Belg.: — Tom. I p. 691 sqq. Ed. Germ. 3.
(*n*) Id § 300 sq.

Digitized by Google

Editiones, e quo genere nunc satis est memorare *Catenam* LI *Commentatorum in Octateuchum et libros Regum* Lipsiae A. 1772 editam, operâ Nicephori Monachi (*o*).

Neque hic omittimus, qui locorum similium comparandorum adjumenta fabricati sunt, Abr. Trommium, et J. C. Bielium, uterque ante medium Saeculum, quamquam hujus opus postea demum editum est, a Schleusnero aliisque locupletatum.

Verum inprimis inde a medio circiter Saeculo XVIII maxima incrementa cepit universa Ars Critica Sacra. Quorum caussae quidem enumerari possunt multae ac variae: in his etiam illud perpetuum studium excolendae Criticae in quibusque Graecis ac Latinis scriptoribus: quo nomine inprimis inclaruerunt Bentleius, Burmannus, Hemsterhusius, Ernestus, horumque discipuli; viri immortales. Sed praecipuam caussam fuisse dixerim illam humani ingenii conditionem, omniumque communem artium vicissitudinem, qua factum esse constat, ut, artium doctrinarumque studiis vigentibus, nulla quidem prorsus neglecta jaceret, alia tamen aliis subinde multo vehementius adamaretur, pluriumque subito ingeniosorum hominum studia nancisceretur, quibus intra breve tempus laete efflorescéret, imo maturitatem quamdam nacta uberrimos fructus ederet, ac pluribus etiam ingeniis exardescentibus, auctisque perpetuo studiis, longe lateque celebraretur et propagaretur. Idemque huic aetati contigit, quum in Interpretatione Codicis Hebraici novas melioresque vias patefacerent ac munirent eruditissimi viri Albertus Schultensius, et Robertus Lowthus, superstitione Judaicâ istâ, quae tamdiu Criticam proscripserat, uterque spretâ ac perdomitâ nobilitatus; ille tamen unius adhuc de lectionum Codicis Hebraei integritate opinionis tenacior; hic quamvis aliis fortasse nominibus Schul-

(*o*) Cf. Ern. et Mich. ll. citt. a Schaffenb. ad Fabric. B. G. Vol. III p. 682.

Schultensio inferior, Criticae etiam hac in parte exercendae vindex, idemque ad hanc adjuvandam suscepti laboriosissimi operis Kennicoto gravis auctor atque hortator. Quamquam enim paulo antea variarum Veteris Novique Testamenti lectionum editores Kennicoto praeiverant Jo. Henr. Michaelis, et Houbigantus, Milliumque subsecuti erant Kusterus, Bengelius, Wetstenius; tamen simul atque hujus viri consilium innotuerat, admirabili quodam Sacram Criticam in tota Europa certatim docti homines prosecuti sunt studio, imo Reges Principesque viri, inprimis Britanni, patrocinio ac favore. Tum vero hac aetate sensim obtinere coepit quaedam universae disciplinae Sacrae emendatio atque instauratio, certe mutatio atque innovatio; de qua quum multa in utramque partem disputari possint, nunc illud unum notare satis est, eam valde efficacem fuisse ad incrementa Artis Criticae Sacrae. Et vero hanc inprimis frequentandi desiderio movebantur Germaniae doctores illi, qui haud scio an omnium maxime ex hac aetate celebrandi sint disciplinae Sacrae amplificandae Triumviri, Jo. Aug. Ernestus, Jo. Sal. Semlerus, Jo. Dav. Michaelis. (*p*). Quorum et Kennicoti exemplo alii certatim, De Rossius inprimis ac Griesbachius, ad hanc Artem perficiendam se contulerunt. Omnino cujusdam novitatis gratiâ tantum hac aetate commendationis huic Arti accessisse, scita est observatio Schroederi, qui pariter a vindicata magis magisque libere sentiendi facultate celerrimos hujus aetatis in Sacra Critica progressus repeti voluit (loco mox laudando p. 449 sq.).

Ete-

(*p*) Latius patet de horum virorum in eruditam Theologiam meritis dicendi campus: et multi passim ea attigerunt. Sed conferantur de Ernesto Clarissimi Duumviri J. G. Te Water, et Jo. van Voorst: illius brevior laudatio, in Orat. *de Theol. Erud.* p. 69, 70: hujus tota Oratio *de J. A. Ernestio* Leidae habita A. 1804. De Semlero et Michaele conferri potest, praeter alios, Eichhornius in Biblioth. Universali Vol. V p. 33, 34. 44—57. 86, 87. et Vol. III p. 858—860. 868—880.

Digitized by Google

Etenim hisce temporibus plures pluresque deinceps innotescere Codices, sive prorsus novi, sive antea cogniti, sed denuo collati: omnes accurate dijudicari: nonnulli integri typorum formis ipsas vetustas manûs exprimentibus repraesentari, et ad omnem posteritatem propagari: Codex Hebraeus undecunque emendari: Versionum Patrumque historiae, reliquiae, et indoles diligentius excuti: multae conjecturae afferri: plures deinceps certae regulae praescribi: totius Artis caussa dilucide explicari et commendari: denique in conformandâ librorum N. Foederis scripturâ prope nova Disciplina condi Criseos exercendae moderatrix. Itaque factum est, ut haec multis nova ars videretur. Quum vero novitas, praesertim ea quae vetera de possessione depellit, multis, neque id immerito prorsus, semper formidabile quiddam habere videatur, atque hac sive veteri sive nova arte disciplinaque sacra alii revera abuterentur, etiam in usus populi Christiani de his rebus nonnulla populari sermone exponi voluerunt viri doctissimi, Societatis Haganae Moderatores, quorum proposito respondit Jodocus Heringa V. Cl. scribenda Disputatione *de usu et abusu Criticae Sacrae*, in Societatis Operibus editâ Ao. 1793.

Hanc vero partem universe ac leviter delibavimus, siquidem singula universae hujus, de qua proxime narravimus, recentioris Criticae Sacrae momenta complures jam explicuerunt Scriptores, plerisque satis noti. Unum tamen ex his silentio praetermittere non possum omnium gravissimum auctorem Nic. Gul. Schroederum, qui caussas Criticae in Codice Hebraeo excultae ipse summus Criticus concinno doctoque sermone perquam accurate et subtiliter exposuit (*q*). Hac

(*q*) Hanc Viri summi disputationem Ev. Scheidius ab interitu vindicavit edendo in Opusculis *de Ratione studii* L. B. 1792 Vol. III p. 434—462. Incredibilem Schroederi atque omni laude maiorem de Codice Hebr. bene merendi facultatem et ipse scribendo docendoque peritissimo cuique arbitro ab-

Digitized by Google

Hac rerum conditione Critici, quamvis magnam partem aliquamdiu Codicis Hebraici Novique Testamenti scripturâ persequendâ occupati, identidem denuo respexerunt Versionem Alexandrinam. De Codicis Lipsiensis et Chisiani Editionibus supra diximus (p. 34). Sed de totius Versionis perfectiori omnibus numeris Editione elaborandâ serio cogitari coepit, sensimque materia ejus congeri, partiumque descriptio informari: tandem etiam ipsa hujus propositi effectio inchoari coepit. Haec vero paucis sigillatim indicanda sunt.

Opportuna congerendae qualicunque materiae horrea construxerunt J. D. Michaelis, et Jo. Godofr. Eichhornius, uterque Professor Goettingensis, edendo opera menstrua, ut in ea, quas Philologorum quisque posset, ad Sacrae Criticae materiam conferret symbolas: quibus tamen ad hanc quidem ceterasque versiones Graecas, certe ad ineditas earum lectiones, locupletius est Eichhornianum.

Itaque in hujus *Repertorio Literarum Sacrarum et Orientalium* Vol. V p. 94—134, VIII p. 177—205, XI p. 45—72, Ao. 1779 sqq., Fred. Andr. Stroth Indicem reposuit plerorumque, qui in Europa adsunt, Versionis Graecae Codicum MSS, singulis, quoad ejus fieri poterat, aliqua descriptione additâ. Cf. item Birchii nota ibidem Vol. XIV p. 203 sq. — Idem attigit Kennic. in Diss. gener. § 173—175: nec non, quod ad Parisiensia Psalteria Jo. Aug. Starckius in Prologo ad Davidis Carmina Vol. I p. 163—167.

Ao. 1777 sq. e vetustissimo Codice Coislini ano, a Montfaucono jam celebrato (vid. supra p. 33), excerptas plures etiam lectiones reposuit Griesbachius in eodem Eichhornii Repertorio Vol. I p. 83—141 et II p. 194—240.

Ao.

abunde probavit, et tantae virtuti debito copiosae orationis praeconio exornavit eruditissimus suavissimusque Praeceptor noster Jo. Willmetus in Orat. *de retinenda antiqua Batav. in Lit. OO. gloria* Amstelod. editâ 1805 p. 42—48.

Ao. 1778 Codicis item aliquoties supra memorati Cottoniani libri Geneseos collationem Grabianam Henr. Owenus Londini edidit. Nonnullas ejusdem Codicis lectiones Masorethicas, et singulares notavit Brunsius in Eichh. Repert. XIV p. 30—39.

Ao. 1783 idem Brunsius in Repert. Vol XIII p. 198 sq. edidit nonnullas lectiones e Codice Psalmorum Oxoniensi.

Ao. 1785 Cantici Salomonéi variae lectt. e Codice Christiani Fred. Matthaei editae sunt in Repert. Vol XVI p. 249 sq.

Ao. 1785 G. L. Spohn Ecclesiastae varias lectt. e duobus Codd. edidit ad calcem versionis Germanicae hujus libri.

Ao. 1785 et 1789 Proverbiorum Salomonis varias lectt. e Cod. Bodl. edidit Brunsius in Annal. Helmstad. (r).

Ao. 1795 Hoseae variae lectt. e 2 Codd. Moscuens. editae sunt in Bibl. Eichh. VI 776—792.

Eodem modo in conquirendis Hexaplorum fragmentis hac aetate viri docti operam posuerunt. Nominabimus eos, qui ex Codicibus ea protulerunt.

Ao. 1769 ipsum Montfauconi opus C. F. Bahrdtius cum singulari negligentia denuo edidit. Adjecit Codicis Lipsiensis lectiones, suasque notas, sed ita Montfauconianis intermixtas, ut earum usum permolestum redderet.

E. Codice Noribergensi, et ex editis libris fragmenta Interpretum libri Judicum, et Vaticiniorum ac Threnorum Jeremiae collegit J. C. Doederleinius, edita in Repertorio Vol. I. 217—256 et VI 195—207, Ao. 1777 et 1780.

Ao. 1779 e Codice Moscuensi lectiones Hexaplares Geneseos et particulae Exodi edidit C. F. Matthaeus in Repertor. Vol. IV p. 257—278.

Ao.

(r) Hoc me docuit Harlesius in Supplem. ad Introd. in Hist. Ling. Gr. editis Ao. 1806 Tomo II p. 76.

Digitized by Google

Ao. 1783 ibidem Vol. XIII 177—197 e Codice Bodleiano, et Gregorii Abulpharagii Commentario Syriaco lectiones Hexaplares Psalmorum Brunsius edidit.

Ao. 1784 e quodam Psalmorum Codice Vaticano lectiones Hexaplares J. G. C. Adlerus edidit in Repert. Vol. XIV p. 183—203.

Ao. 1785 tales item lectt. Cantici Canticorum e Codice C. F. Matthaei editae sunt in Repert. XVI. 249—257.

Pergimus ad versiones ex Graeca factas his temporibus editas.

AEgyptiacae versionis alterius, Copticae, fragmentum Jeremiae edidit Mingarellius Bononiae Ao, 1785. Specimen versionum Danielis Copticarum, Caput IX Memphitice et Sahidice edidit Fr. Münterus Romae 1786. Alia fragmenta nuper, credo, Fred. Engelbrethus, Danus, edidit. Ao. 1795 idem Relationem de Codd. MSS. Copticis Borgiae Cardinalis addiderat Novo Diario Theologico Ammonis, Haenleinii, et Pauli Vol. VI p. 834—844.

Figuratae, quae dicitur, Syriacae vestigia quaedam sibi reperisse visus est Eichhornius in Introd. § 260 coll. Tomo IV p. 43 sq. Edit. Belg. (Ed. Germ. 3 Tomo I p. 501 sq. 513 sq.) et Biblioth. Universali Vol II p. 270 sqq. — Syriacae Hexaplaris per Masium cognitae (Cf. supra p. 24) notitiam Ao. 1773 e Codice Mediolanensi instauravit Biornstahlius (Cf. Repertor. III 166—172 collato Eichhornio ibid. VII 225—250): paucula Jesaiae, Danielis, Psalmorum et alia fragmenta edidit Brunsius in Repert. III 173—187 Ao. 1778: Psalmum I De Rossius Parmae 1778. Cf. Repert. III 187—212. — Ibidem Vol. VIII 85—112, IX 187—196, X 58—95 Ao. 1781 sq. Curas Hexaplares in librum IV Regum edidit P. J. Brunsius, usus Parisiensi Codice Syriaco Hexaplari. — Ao. 1782 J. G. Hassius ex eodem Paris. Cod. Specimen libri IV Regum Syro-Heptaplaris edidit Jenae. — Ex eodem Codice Mediolanensi Jeremiam et Ezechielem edidit Norbergius Londini Gotho-

rum

Digitized by Google

tum Ao. 1787 (Cf. Michaëlis Nova Or. Bibl. III 157 sqq., V 89 sqq., et Eichhornii Biblioth. I. 837—876). Danielem Tetraplarem ex eodem Codice Bugatus Mediolani Ao. 1788 (Cf. Mich. N. Or. B. VI 177—199 et Eichh. Biblioth. II 259—270). Item Psalmos edidisse, saltem proxime editurus fuisse videtur Bugatus, fortasse etiam Prophetas.

Hexaplaris e Syriacâ Arabicae, Polyglottis jam adhibitae, particulas quasdam e Codd. Bodleianis ediderunt Whitius Oxonii A. 1779, et H. E. G. Paulus Jenae 1789.

Novam et praecipuam his versionibus operam dare sibi proposuerant eruditi Monachi in Gallia Capucini Ao. circiter 1772, de quibus retulit Michaëlis Or. B. II 104 sqq. Sed de horum laboribus nil postea innotuisse videtur.

Antea ignoratam prorsus versionem Graecam, ex Hebraico factam intra Saec. VI et X, Villoisonus e Biblioth. Venetâ edere coepit A. 1784. Totam edidit C. F. Ammon V. Cl. Ao. 1790 sq.

Ex Patribus hac aetate melius editis potissimum memorandus est Theodoretus. — Sed quum superiori aetate Scriptores Graecos Alexandrina Versione usos universe contulissent viri docti, coeperunt hac aetate, magis data opera, e nonnullis sigillatim excutere lectionum genera et formas, quas suae singuli aetati proprias scriptores illi potissimum secuti sunt. De Josepho autem et antea ab aliis, et denuo ab Ernesto, Scharfenbergio, ceteris, disceptata quaestio est, ususne praecipue sit hac Versione, an Codice Hebraeo: qua de quaestione cf. Eichstaedt l. c. II 186 sqq. Holmesius quidem nihil ex eo enotavit. — Philonem interpolatum ceterorum Interpretum fragmentis jam P. Wesselingius aliique deprehenderant (Cf. Eichh. Introd. § 173 Vol. I p. 287 sq. edit Belg. — p. 368 Ed. Germ. 3): et Ao. 1773 sqq. editis tribus libellis C. F. Hornemannus, Danus, scripturam Versionis Graecae ab eo expressam demonstrare coepit. — Eodem consilio Justinum Martyrem,

 alios-

aliosque Patres, inprimis Chrysostomum, excussit F. A. Stroth, ejusque studii fructûs publicavit in Repert. Eichh. Vol II. 65 sqq. III. 213 sqq. VI. 124 sqq. XIII. 158 sqq. Ao. 1778 — 1783. — Complures item in Patribus Hexaplorum fragmenta indagarunt.

Conjecturas et animadversiones multi multas attulerunt; e quo genere nunc sufficit, ne in infinitum divagemur, nominare Eichhornianas in Jeremiam, Repertorii Vol. I p. 41 sqq. et in Introd. Vol. III; et in totam Versionem Schleusnerianas ab ao. 1782 deinceps vulgari coeptas, ao. autem 1812 Lipsiae uno volumine conjunctim editas.

Praeterea viri docti passim in Versionis Graecae Codicum jam cognitorum rationem mutuam inquisiverunt: Hexapla ex editis quoque libris auxerunt; totius Versionis caussam in partem quamlibet versaverunt: versiones ex ea factas magis indies celebrarunt, ac secum invicem et cum Codd. Graecis compararunt, earum auctores, consilium, aetatem, vicissitudines diligentius indagarunt: ex Criticae Hebraei Novique Testamenti copiis auxilia huic attulerunt: denique his subsidiis quomodo ad restituendam Versionem utendum esset, quae cautiones adhibendae, quibus quasi passibus novo cuique deinceps Editori sensim ac lento procedendum esset, acute et solerter descripserunt. Sed hic denuo unum alterumque nunc sufficiat nominare, Semlerum ac Whitium.

Itaque quum temporum rationes novam Editionem desiderarent, Brunsius Jeremiae et Ezechielis, a Norbergio Syriace editorum, novam Editionem Graecam sibi proposuit, de cujus consilio, quod postea evanuisse videtur, cf. Eichhorn. Biblioth. Univers. I p. 1046.

G. L. Spohnium quoque novae Editionis cura tenuit, editorum subsidiorum ope elaborandae. Itaque Ao. 1794 Lipsiae edidit Jeremiae XXIV priora Capita emendata, notisque criticis illustrata. Sed mors praevenit ejus labores, Versioni Graecae, quoad ex hoc Specimine et aliunde intelligere licet, valde profuturos. Cf. Eichhorn. Biblioth. Univ. VI. 331 sqq. Eichstaedt l. c. p. 116 sq.

Ve-

Verum ante omnia universus, quoad ejus fieri posset, editorum ineditorumque conquirendus erat subsidiorum apparatus. Ao. 1784 jam coeperant talis operis rationes quaedam iniri a Goettingensibus; ita quidem, ut primo Prophetae minores ex 40 Codd. Moscuens. edendi essent. Cf. Eichh. Bibl. Univ. VI 776 sq. Sed omnino dubius erat hujus consilii in Germania exitus. Ab ea igitur, quae saepius antea Sacrae Criticae salutem attulerat, Britannorum munificentia tantae molis opus denuo exspectandum erat. Jam quid actum sit, certe quid nobis innotuerit, porro referamus.

§. 8. *De Holmesii instituto et laboribus* *exeunte Saec.* XVIII.

Anno igitur 1788 Robertus Holmes, Professor Oxoniensis, edito Programmate, omnes bonarum literarum fautores publice invitavit, ut, quibus quisque posset, studiis ac subsidiis adjuvaret universalem collationem comparationemque variarum Versionis hujus lectionum e Codd. MSS., Editionibus, Versionibus, Patrum scriptis colligendarum; qua facta ipse laborem in se susciperet hunc apparatum digerendi et ad novae Editionis formam construendi. Cf. Eichhornii Biblioth. I. p. 916—922. Optatus proposito mox contigit in Academia Oxoniensi reliquaque Britannia, et per totam fere Europam, insignis favor laboresque assidui praestantium auctoritate doctrinaque virorum. Itaque de operis progressu annis singulis singulas edidit relationes; de collatione inde ab Ao. 1789 usque ad Ann. certe 1803; alias de editione inde ab A. 1801 usque ad A. certe 1805: quas, quoniam praecluso nostris temporibus omni librorum commercio, perinde atque alios exterorum hujus argumenti libros, nancisci non potui, silentio praetermittere debeo. Nunc sero demum unam alteramque nactus sum. Primae relationis argumentum exhibuit Eichhornius in Bibl. Univ. II 935—939.

 Se-

Secundae Idem III 56 sq. — Ao. 1795 duplex Editionis specimen edidit, inscriptum Viro admodum Reverendo Barringtono, Episcopo Dunelmensi, Epistolam, et Epistolae appendicem; de quibus item retulit Eichh. l. c. VII 908—919.

Ao. 1798 prodiit initium operis Pentateuchus. Titulus libri hic est: *Vetus Testamentum Graecum cum variis lectionibus. Edidit Robertus Holmes S. T. P. R. S. S. Aedis Christi Canonicus. Tomus Primus. Oxonii e Typographeo Clarendoniano* MDCCXCVIII, formâ maximâ.

Universum opus inscriptum est Fautoribus hujus instituti, nominatim Barringtono, Episcopo Dunelmensi. Sequuntur nomina Fautorum, quorum et auctoritate et subsidiis pecuniariis haec collatio promovetur, 157 Britannorum, et Episcopi Bejensis in Lusitania. Mox eorum nomina sequuntur, quibus faventibus ipsa collationum Editio promovetur, 159, Britannorum. Horum igitur favore sustentatus Editor ad annum usque 1798 jam impendere potuit ultra septem millia librarum Sterlingicarum. Praecipui item memorantur ex doctis hominibus adjutores, sociique laborum: ex Germania Schnurrerus, Matthaeus, Alterus, Brunsius, Bredencampius, Hertzogius, Bolla: e Dania Moldenhawerus: e Lusitania Ferriera: ex Italia Branca, de Perego, Joach. Pla, Zelada Cardinalis, Baldius, Calabresius, Spallettius, Baldius filius, Stephanopolius, Schowius et Zoega, uterque sub auspiciis Borgiae Cardinalis, denique Gabardus et Tiraboscius: Parisiis Corayus; ex Anglia Owenus, Woidius, Harperus, Fordius, Morresius, Fowlius, Dixius: ex tota Europa alii multi non nominati.

Haecce ab Editore praedicata equidem ideo lubens repetii, tum quia cum hujus Operis Editione conjuncta sunt, tum vero maxime, quia et officii est et humanitatis illa bene facta grato animo celebrare, quae honestissimi literarum amoris ac patrocinii, veraeque et ad posteros duraturae laudis significationem habent.

Holmesius in fine Praefat. monuit, omnes illas collationes reposi-

positas esse in Biblioth. Bodlejana, atque vel ab ipso si viveret ac valeret, vel, si aliter accideret, ab alio quodam Editore sub auspiciis Typographei Clarendoniani Curatorum emissum iri. — Quid porro actum sit, equidem diu ignoravi, et plerique extra Britanniam ignorarunt. Video in Relatione Anni 1801, Operis quatuor fore Tomos; et in Relatione Anni 1805, Editorem proxime pergere voluisse ad edendos Prophetas et Psalmos. Verum obiit Vir praestantissimus eodem anno. Nunc demum per Voorstium et Willmetum Viros Cl. rescivi, editum esse Ao. 1801 Tomi II Partem I et II Josuam, Judices, et Rutham; Ao. 1805 Danielem *κατὰ τὸν Θεοδ. καὶ κατὰ τοὺς Ο'*; Ao. 1813 Tomi II Partem III primum librum Regum: Opus continuatum iri a Jacobo Persons, A. M. — De origine et progressu operis, ephemeridumque scriptoribus, qui de eo sive retulerunt, sive judicarunt, conferri potest Harlesius in Introd. in Hist. L. Gr. Edit. 2dae T. II. P. II. p. 32 — 34 et in Supplem. ad hanc Introd. T. II. p. 73 — 75 (*). Addatur Eichh. Bibl. Univ. IX 141 — 143, et Eichstaedius ad Mori Acroases Vol. II. p. 118 — 120.

§. 9. *De Operis Holmesiani materia ac descriptione.*

Fortasse supervacaneum est de materia ac descriptione Operis amplius referre, quum id jam egisse videantur et ipse Holmesius in Annuis Relationibus, et Scriptores Ephemeridum ab Harlesio citati. In Biblioth. Eichhorn. inprimis conferri meretur relatio de duabus Epistolis Holmesianis Vol. VII. p. 908—919. (Alteram censuram Goettin-

(*) Inter libros ab eo citatos est quoque E. F. C. Rosenmülleri Prof. Lips. *Handbuch fuer die Literatur der Bibl. Kritik und Exegese* Goett. 1798 Tom. II: quem librum nunc demum, dum haec typis mandantur, nactus legere non potui: quatenus autem inspexi, addiderim scriptoribus supra nominatis p. 6. — Similem librum Harlesius citat p. 72 J. O. Thiessii Lipsiensem Anni 1795 et 1798, cujus ne inspiciendi quidem tempus superest.

Digitized by Google

tingensem non vidi). Censoris Jenensis (*Allgemeine Literatur Zeitung* A. 1800 No. 186) fuit item pro ista brevitate satis accurata, de solo tamen Geneseos libro, relatio. (Alteram censuram Jenensem Anni 1803 non vidi). Item plura refert, sed de solo Geneseos libro, relatio in Gableri Novo Diario Theologico Ao. 1803 p. 156—170. Sed quoniam hi tantum de iis, quae ad Genesin pertinent, retulerunt, malim hoc loco nonnulla, quae ipse tractando libro cognovi, referre.

Post nomina Fautorum primum locum occupat Praefatio ad Genesin 5 paginarum, cujus hoc est initium: „Imprimitur per hunc librum et per alios omnes imprimetur Textus Graecus secundum Edit. Vaticanam, in folio, 1587, absque ulla consulto facta sive vocis sive literae mutatione, nisi in manifestis Typothetarum erroribus, quorum plerosque et ipsi Editores Vaticani calamo suo correxerunt, et ad imas paginas admonetur de mutationibus hac de caussa inductis." Sequuntur Excerpta quaedam ex iis, quae Vaticani Editores de Codice Editioneque sua praefati sunt. § II monet Editor, Codices Uncialibus, quas vocant, literis scriptos significari per numerorum signa Romana I, II, cet.; Codices literis ligatis scriptos per signa Arabica 1, 2, cet.; porro de singulis Geneseos Codicibus monet, quaenam Capita aut versiculi in unoquoque desint. Complures aliqua parte sunt mutili. Sunt autem Codd. in Genesi collati 55. § III enumerat Editiones principes. § IV enumerat Editiones Scriptorum Graecorum, e quibus variae lectt. notantur. § V enumerat ex Graeca factas versiones eas, quarum lectiones in hoc libro notatae sunt. Pro vago Veteris Latinae nomine recte ipsi Patres Latini nominatim citantur. Sed de Codd. Editt. Verss. nos plura dicemus infra § 22 sqq. — Denique signa declarat, quibus compendii caussa usus est ad additiones, omissiones, cet. indicandas. Nos autem, ut lectorum commodo consuleremus, eam rationem deseruimus, magno operi Holmesiano recte adhibitam.

Nescio an bibliopegi operâ factum sit, ut, interjectis aliorum

Fau-

Digitized by Google

Fautorum nominibus, illam Geneseos Praefationem altera sequatur Praefatio ad Tomum I, id est ad totum Pentateuchum. Hic certe est ordo exempli Bibliothecae Publicae, quo nos utimur. Et videntur Scriptores, qui de Opere retulerunt, hanc Praef. nondum vidisse. Ex ea infra § 22 sqq. aliquid delibabimus. Nunc argumentum ejus universe referemus. Est paginarum 40. Habet quatuor Capita: primo Capite disseritur de mutationibus in Versione Graeca factis Saec. post Chr. III, ejusque sunt XI Sectiones; altero continetur *Codicum Graecorum in charactere Unciali, quorum Variantes huic Tomo mandantur, Enumeratio:* tertio *Codicum in charactere ligato:* quarto exponitur *de Editionibus, Patribus, Versionibus, ex quibus variae lectt. per Pentateuchum afferentur.*

Tum pars longe major potiorque libri continet quinque libros Mosaicos Graecos secundum Editionem Vaticanam: cuivis paginae subjecta duabus columnis lectionum varietate e Codicibus, Editt., Patrib., Verss. Interdum etiam varietatis in spiritibus et accentibus ratio habita est. Est quoque, sed perraro, ubi variae lectionis caussa et origo verbo attingatur. Singulae paginae continent 10 fere aut 12 versus, cum eorum lectionibus. Unicuique Pentateuchi libro attexta est Appendix fragmentorum et scholiorum Hexaplarium, paucis paginis. Ut Genesi, ita ceteris libris praemittuntur Praefationes, quibus monetur, quaenam Capita ac Versus in unoquoque Codice desint. Denique in fine totius libri notantur *Addenda et Emendanda in Tomo* I, undecim paginis.

In externis libri dotibus est chartae nitor, typorum splendor, mendorum magna paucitas.

§. 10. *De operis ejusdem ad Graecae Versionis rationem Criticam momento.*

Superest, ut quale quantumque sit illud, quod ratio Critica Versio-

sionis Graecae per Holmesianum opus profecerit, verbo attingamus.

Ipse igitur Holmesius effecit, ut, conjunctis multorum laboribus, plurimorum ex omni aetate Codicum, Editionum, Versionum, Patrum lectiones e suis quaeque latebris excussae jam ad communes usus expositae patescant. Itaque una cum clarissimis Operis Patronis ac Sociis exantlato labore aerumnosissimo solidissimum posuit omnis Criticae emendatricis fundamentum, et hoc nomine illam Britanniae in promovenda Critica Sacra gloriam ab Usserio et Waltono fundatam, a Fello, Millio, Grabio, Kennicoto, Woidio, aliis, splendide evectam et amplificatam, insigniter auxit, illustravit, cumulavit. Quo magis speramus, totius Versionis Editionem eadem cum diligentia tum munificentia absolutum iri.

Haud scio an sint quibus nimia haec laudatio esse videatur, ampliorem desiderantibus, et bonarum novarumque lectionum copiam, et Codicum aliorumque lectionis testium censuram. At primo non semper requirimus tantum lectionum sylvam, saepiusque juvat scripturam diu probatam intueri nulla cujusquam dissensione sollicitatam; spectare juvat etiamnum in omnibus Codicibus summatim eandem servatam esse antiquissimam historiam, Mosaicarumque religionum normam; itaque tamquam historico argumento confirmari Sacrorum librorum integritatem ac fidem: novumque accepimus documentum, adhibendâ Theologiae Criticâ religionis caussam non debilitari, sed adjuvari et corroborari. At, inquit, quid igitur opus erat tanta mole laborum? Quasi vero, non collatis et prolatis omnibus lectionibus, tamen tota illa caussa dijudicari posset: quasique, licet ipsa librorum summa maneat, reapse in singularibus locis non multum sit notabiliorum quoque lectionum diversitatis. Praeterea, ut vidimus, et notatur item in Gableri Diario l. c. p. 161 sq., minime neglecta est per haec duo triave saecula singularium, praesertim antiquiorum, Codicum quorumdam collatio; unde necesse est in hoc opere multa occurrere jam antea cognita. Quis vero id accidis-

disse reprehendat, quod per ipsam rei naturam aliter fieri non poterat? praesertim quum illa sint unà cum plurimis illis recens prolatis jam commodius atque ordinatim in certam suamque sedem reposita. Denique illud animadverti meretur, in quibusque reliquis V. T. libris Emendatricis Criticae multo plura, quam in Mosaicis, et officia requiri ipsius, et e variis lectionibus exspectanda esse adjumenta ac subsidia. Quod ne quis mihi dicenti temere credat, peridoneum arbitrum consulat J. D. Michaëlem in Orient. Bibl. Vol. I. p. 170—172.

In diversorum testium aetate, indole, usuque declarando omnino versatus est Editor, monuitque nonnulla ex hoc genere passim in Praefatione. Quod vero non plura etiam disseruit, utique non semel professus est, se testis, non judicis, personam sumsisse. Quod sane praeclarae documentum est modestiae, animique a pronunciandi temeritate abhorrentis. Quis vero tam durus alienae operae exactor haberi velit, ut ab eo, qui tam multa dedit, semper plura etiam importune postulet?

Est igitur hoc positum fundamentum, cui aedificii, ut ita dicam, splendidiores reliquae partes porro rite superstruantur.

Etenim et nemo ignorat, et ex modo dictis omnes satis intelligunt, tantum abesse, ut nihil porro supersit operae, ut potius nunc demum feliciter administrandae hujus Criticae aetas advenerit.

Ne dicam, reliquas libri partes adhuc edendas esse, quod tamen a Britannis perfectum iri confidimus, nemo, modo ipse aliquando MSS. Codices justa cum cura et religione tractaverit, nemo, inquam, negabit, etiam in accurate collatis Codicibus multa saepe superesse sive per longi operis taedium, sive per difficilioris scripturae molestiam praeterinissa, aut non satis intellecta: ut omnino operae pretium sit illos Codices subinde, nonnullis certe in locis, denuo conferre: atque haud scio, an optandum sit Criticis, ut unus et alter hujus quoque Versionis antiquior ac praestantior Co-

dex eadem ratione, qua in nonnullis N. T. Codd. a Woidio aliisque factum est, ab omni interitu in perpetuum vindicetur. Imo hoc ipsum a Voorstio V. Cl. accepi Britannos jam perfecisse in Cod. Alex. parte eâ, quae Psalmos continet: et mox, ab Henr. Hervelo Baber in Museo Brit. Bibliothecae Praefecto, eâdem ratione ejusdem Cod. Alex. Pentateuchum repraesentatum iri. Dolendum vero est, Moscuensium Codicum non plures ab Holmesio lectiones impetrari potuisse. Et saepius experientia jam docuit, Bibliothecarum thesauros diu neglectos tandem flammis periisse, literarum jacturâ irreparabili.

Praeterea tum ineditis versionibus in lucem protrahendis, tum editarum et Patrum lectionibus castigandis multiplex adhuc opera navanda est, publicis item sumtibus et junctis multorum studiis sustentanda.

Sed ipsum, cujus jam inchoata editio est, Holmesii opus in omnem partem versandum erit. Editor professus est, se „edere τῆς Κοινῆς exemplar omni, quo posset, rerum ad definiendum τῶν ό textum apparatu instructum." Itaque porro eruendae sunt lectiones Origenianae: tum variae, quae fuerunt ante Origenem: diversae lectionum quasi familiae et coloniae indagandae: Interpretum Hexaplarium sua cuique etiam ex his Versionis lectionibus restituenda: haec omnia ad Codicem Hebraicum adjuvandum, reliquumque Versionis usum multiplicem conferenda: verbo, illud curandum est, ut multorum studio exculta Critica paratis subsidiis recte utatur.

Enimvero opus erit eadem, ac majore etiam, quam superiori Saeculo per 40 fere annos fuit, ingenii doctrinaeque contentione ad hoc studium eadem alacritate persequendum. Ingentes interim fuerunt populorum, ac rerum omnium conversiones, quae quid universe ad mansuetiorum literarum studia augenda aut minuenda valuerint, dies docebit.

Faxit Deus O. M., ut jam post inauditas antea Europae miserias, et restitutae pacis, virtutis, religionis, ac prosperitatis, et amplificati literarum Sacrarum, omniumque ingenuarum artium studii et amoris incipiat nova et melior aetas.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT ALTERUM.

VARIARUM HOLMESII LECTIONUM EX PENTATEUCHO SPECIMINA QUAEDAM.

Universe descripto Holmesii libro, reliqua nobis Disputatio eo pertinebit, ut de peculiaribus locis referamus, videamusque, qualis sit libri usus tum in ipsa (*) Versione Graeca, tum extra eam, denique ad perspiciendam indolem variae variis in Codicibus scripturae. In quo tamen paucis speciminibus defungemur, ea spe fore, ut hanc per-

(*) Ipsum vocabulum VERSIO non invenitur in iis, qui hodieque supersunt, Romanorum libris, (uno fortasse excepto Pliniano, H. N. VIII 33, dubiae lectionis loco): sed nomina inveniuntur idem significantia, *Interpretatio*, *Translatio*, *Metaphrasis*. Verba item ab iis usurpata haec suppetunt, *interpretari*, *transferre*, *reddere*, v. gr. Graeca Latine: imo ipsum nostri nominis parens verbum *vertere*, et compositum *convertere*, significatione eadem, quam volumus, scribendi lingua patria aliave civibus nota libri, qui plane respondeat libro peregrina lingua scripto. Jam impropria haec significatio minime aliena est a *vertendi* verbo: quare igitur a ducto inde nomine? — Praeterea cum a compositis *convertere*, *evertere* cet. nomina Romani duxerint *conversio*, *eversio*, *inversio* cet., quidni a simplici *vertere* ducamus *versio*? — Et vero in recentiorum libris *Interpretatio* fere intelligitur amplior fusiorque verborum aut rerum enarratio, ut alio, quam hoc, sensu, ubique nunc usurpari satis perspicue nequeat: *Translatio* ab ipsis Romanis saepius positum est de figura Artis Rhetoricae, quam de libro ex altera lingua in alteram convertendo: *Metaphrasis* Graecum est nomen. Maneat ergo *Versio*. — Quum spatium in fine paginae vacaret, adjecimus haec popularibus dicta quibusdam [illegible] Latinitatis non peritis quidem illis, attamen, ut videri cupiunt, [illegible] studiosis!

pertenuem juvenis opellam Philologi gravioribus deinceps obruant operibus justâ ingenii doctrinaeque copiâ perfectis.

Nostra quidem opella hoc modo coarctatur, ut de lectionum varietate non judicemus, sed referamus, annotato ubique, si quid forte Hebraica habent variae scripturae; subinde etiam, si quid unus et alter, quod ad rem pertineat, disputaverit. Codices autem, quos Holmesius sigillatim enumerat, plerumque brevitatis causâ uno numero complectemur.

CAP. II

PARS PRIMA.

De usu operis Holmesiani in ipsa Versione Graeca.

§. 11. *Loca ab ipsis Interpretibus male reddita.*

Satis constat, nonnullis in locis Codicis Hebraei Interpretationem Graecam esse ita manifesto falsam, ut verae interpretationi dedita opera substitui nunquam potuerit. Hinc recte effecerunt viri docti, ipsos Interpretes haec loca sive in suo Codice Hebraeo male legisse, sive perperam intellexisse. Itaque fieri posset, ut Interpretatio Graeca tot tam diversis ac repetitis, quam supra § 5 indicavimus, posterorum curis tractata his in locis subinde emendata esset, cujus emendationis nonnulli Codices hodieque vestigia referrent. At vero, dum hanc Syllogen Holmesianam perlustravimus, ejusmodi loca a posteris emendata esse, nullis magnopere variarum lectionum vestigiis deprehendimus. Speciminis loco sequentia afferamus.

Gen. IV. 7. Graeci hic sensum plane turbarunt, quod Hassenk. in Comment. *de Pentateucho* p. 61—63 explicare cupit e similitudine literarum Samaritanarum. Etiam conferri potest Hornem. p. 147

et

et 148 *Specim.* II *ex Philone*, et E. Scheidius in Notis ad Genesin p. 78–96. At Holmesii Codd. omnes locum, ut erat, turbatum reddiderunt.

V. 29. Interpp. Gr. reddiderunt *διαναπαύσει ἡμᾶς*, quasi legissent ינ֗יחנו, pro eo quod Codex Hebr. habet, et Codex Samaritan. ac versiones omnes exprimunt, ינחמנו. Cf. Dathius in Annotat. ad h. l. — Nullam vero ab hac lectione *διαναπ. ἡμ.* diversam lectionem Holmesius ex ullo Codice attulit: nisi quod 4 Codd. et Chrysost. *δὴ ἀναπαύσει* habent.

XV. 15. Non adeo Interpretum, sed primi eorum descriptoris manifestum vitium notarunt viri docti in lectione *τραφεὶς*, pro deperditâ, sed unice verâ, *ταφείς*. Cf. Cappelli Crit. S. IV. 18. §. 1. Eichhorn. Introd. Vol. I § 167. At nullus Codex reposuit *ταφείς*. Igitur Complutensis etiam Editio videtur hanc sine Codice Graeco reposuisse, Alexandrina autem Editio ex Complutensi.

XXIV 55. ימים או עשור. Locus difficilior, unde aliquid varietatis apud Kennic. — Samarit. ימים או חדש Gr. *ἡμέρας ὡσεὶ δέκα*. Cf. Dathius. Nulla apud Holmes. est varietas.

XXVI. 33. Pro שבעה, *ὅρκος*, Aquilae et Symmachi versio, Hieronymi auctoritate et aliorum testimonio suffulta, haec est: *πλησμονή*, quae respondet voci Hebr. שׂבעה. Cf. Montf. in Hexapl. Jam Holmes. in Append. ad Gen. ad voces textûs *Φρέαρ ὅρκου* haec notat: „ *πανσμονη* (sic) Codex X. Leg. *πλησμονη*". Hic igitur Codex hanc lectionem aliunde in versionem *τῶν ό* intulit. Lectionem שׂבעה probarunt J. D. Mich. Bibl. Or. IX. 196, et Dathius ad h. l.

XXXIII. 18. שלם perperam, quasi esset nomen urbis, reddiderunt *εἰς Σαλὴμ*, cujus lectionis momentum indicavit Michaëlis l. c. XXII. pag. 199 sq. Nullus vero Codex veram lectionem reposuit.

XLVI. 28. *συναντῆσαι αὐτῷ*. Huic interpretationi veritatem non abjudicat Michaëlis l. c. IX 208, paulo aliter Dathius ad h. l. Nobis indicare sufficiat, nullam ab Holmesio lectionis varietatem notari.

L. 19. *τοῦ γὰρ Θεοῦ εἰμὶ ἐγώ*. Hujus interpretationis incertam

 cum

Digitized by Google

cum Hebraei Codicis lectione comparationem notavit Dathius ad h. l. Nullam Graeci Codices varietatem offerunt: nisi quod Cod. Vatic. transponit τοῦ γὰρ Θεοῦ 'εγώ εἰμι. novem alii: Θεοῦ γὰρ εἰμὶ ἐγώ. At vero Arab. 1, 2 habent: ego enim sum ex illis, qui Deum timent: in quo accedant ad lectionem Dathio probatam. Non tamen, lectionem illam התרות esse unius tantum Codicis Samaritani ab Houbiganto collati, qui Codex etiam servat כי. Alius item Cod. habet חחחת. Nam reliqui, ut text. Hebr., habent חרחות, sed omittunt כי. Cf. praeterea de lectione חרחות Michaëlis Or. Bibl. XXI. 181 sq.

Ex. VII. 15. ונצבת לקראתו καὶ ἔσῃ συναντῶν. Magis ad literam est lectio καὶ στήσῃ συναντῶν, quam habet Codex VII, et 30 Codices minoribus literis conscripti, tum Editio Complut. et Alexand.; praeterea Catena Niceph. et Philo I, 409 et alibi. *stis autem* Slav. Ostrog. De Philone cf. Eichhorn. Introd. § 167.

§. 12. *Loca ab ipsis Interpp. addita, demta, transposita.*

Similis fere ratio est locorum, in quibus Intpp. nonnulla vel addiderunt orationi Mosaicae, vel ex ea omiserunt, vel denique verba ejus transposuerunt. Ex quo genere item sequentia notamus.

Gen. I. 6 in fine addunt καὶ 'εγένετο οὕτως. Virgulam, omissionis notam, his verbis praemittit Ed. Alexandr. item Codex Arab. 1. qua de lectionis varietate jam aliquid monuit Eichhornius in Censura Epistolae Holmesianae, edita in Biblioth. Univers. Literat. Sacrae Vol. VII p. 919. Eadem omisisse Holmesius notat Editionem Complut., et Basilium I, 25. Praeterea Montfauc. in Hexaplis Vol. I pag. 2 et 3 docet, haec omitti ab Aquila, Symmacho, ac Theodotione. Videatur autem fortasse haec potius esse transpositio quam additamentum, siquidem in fine versus 7 Codex Hebr. habet ויהי כן, ubi desunt in Graeco, adduntur tamen in 20 circiter Codd.

Co-

Codex 127 eadem in textu habet sub asterisco cum hac nota marginis, ἔνθα κεῖται ἀστερίσκος, κεῖται μὲν ἐν τῷ Ἑβραικῷ, οὐ φέρεται δὲ παρὰ τοῖς Ο'. — Ev. Scheidius in *Libro Geneseos*, in notis p. 14 Graecam lectionem praefert.

8. Καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς ὅτι καλόν. Est additamentum solius versionis Graecae, de quo vid. Dathius. Scheid. l. l. assentitur Houbiganto additamentum probanti. Holmesius haec notat: „ sub virgula habet Alexandr. [nempe Editio], item Cod. Arab. 1. Iis obelum praemisit Origenes ipso fatente in Ep. ad Afric." De hujus item loci varietate jam monuit Eichhornius l. c.

VII. 3. Versio Graeca habet glossam καὶ ἀπὸ πάντων cet. de qua cf. Dathius. Complures Codd. unum alterumve vocabulum huic glossae vel addunt, vel demunt. At universe eam omnes Codd. habent. Sola Complut. Ed. omittit.

IX. 26. עבד. Gr. παῖς οἰκέτης. παῖς omittunt Ambros., Slavonicae Editio Ostrogiensis, Armen. Codex 1, Armen. Ed. — οἰκέτης omittunt 35 Codd, Ed. Ald. Alex., Catena Nic., Just. M., Chrysost., Cyr. Al., Theodoret., August., Versio Copt., Arabicae Codex 1, 2: pro παῖς οἰκ. Philo habet δοῦλος. Apud Montf. Aquila δοῦλος δούλων. — Forte repetitum est e versu 25 ubi עבד עבדים redditur παῖς οἰκέτης. Vatic. ibi prave interpungit Χαναὰν παῖς· οἰκέτης ἔσται cet. Haec ibi Holmesius: „ licet post παῖς cum Codd. plerisque, et Ald., et Arm 1, Arm. Ed. distinguat Philo, et Chrysost.; tamen post Χαναὰν, non post παῖς distinguunt 9 Codd., Ed. Compl. Alex., Cat. Nic., Just. M, Cyr Al., Glaph. p. 42, Ambros., Copt, Arab. 3. παῖς ibi omittit Codex 59 et Slav. Ostrog.: οἰκέτης ibi omittunt Cod. I et 72." — Cf. Scharfenb. Animadv. ad Fragm. Verss. Gr. pag 8.

XVIII 17. Addunt τοῦ παιδός μου in nullo Codice omissum. Cf. Hornemanni *Exercit. prior in LXX ex Philone* p. 78 — 81

ubi

ubi suspicatur, Philonem τοῦ φίλου μοῦ legisse; probante Michaële B. Or. IV 167 sqq.

XXI. 7. מצחק παίζοντα. Addunt μετὰ Ἰσαὰκ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς. Fortasse ob literarum convenientiam ex Hebraeo post מצחק excidit את־יצחק quod suam in versionem Dathius recepit. Postrema τοῦ υἱοῦ αὐτῆς (ut Holm. in Add. monet) omittit Codex 54, sed statim subjungit αὖτος ἦν Ἰσραὴλ, ὃς ἐγένετο τῷ Ἀβραάμ. (ex margine).

XXXV. 22. Post illa τοῦ πατρὸς αὐτοῦ versio Gr. addit Ἰακώβ. Hoc vero omittunt Cod. I et IV, praeterea 16 Codd. minoribus literis conscripti, Edit. Ald. et Alex. Cat. Nic. et Chrysost. Copt., Arab. 3., Slav. Ostrog., Arm. 1., Arm. Ed., Georgiana.

In fine versio Gr. addit καὶ πονηρὸν ἐφάνη ἐναντίον αὐτοῦ, de quo cf. Mich. B. O. Vol. IX. p. 200—202. Kennic. notat, hic amplum spatium esse in 46 Codd. Hebr. — Holmes. notat: „ haec habent sub virgula Codex IV et Ed. Alex." Pro ἐναντίον Cod. IV et 5 alii, item Ed. Compl. et Cyrill. Al. habent ἐνώπιον.

XLIV. 5. Interpretamentum, de quo cf. Dathius, omnes Codd. retinuerunt.

Levit. XI. 40. Gr. addit καὶ λούσεται ὕδατι. De Rossi „ Codex meus 262 primo additum habuit ורחץ במים. Ita etiam LXX. Sed desunt in Ed. Compl. Ald. et MS. Sarravii, ut monet Junius." — Holmes. „ Codex 108 habet καὶ λούσομαι τὸ σῶμα αὐτοῦ ὕδατι. Omittunt καὶ λούσεται ὕδατι Cod. IV sive Sarravii, et 13 alii Codd., Cat. Nic, Arab. 3, Slav. Ostrog., Arm. 1 aliique, Arm. Ed. — Cod. Alex. ea habet, sed Grabius ea uncis inclusit." Item paulo ante una cum Cod. 74 et Arab. 3 ea addiderat, licet ibi quoque a Grabio uncis inclusa.

Deut. XXXIII. 6. Michaël. in Nova Or. Bibl. V. 245 putat, in Hebr. addendum esse *Simeon*. Hoc autem addi ait in Gr., quamvis suspicetur, illud esse a posteriori manu, quum Philo illud hoc loco non legerit. Non satis intelligo, quomodo Michaëlis haec scrip-

Digitized by Google

scripserit. Nam in textu Gr. omittitur Simeon: imo L. Bosius complura affert loca Patrum, qui hunc omissum esse notarunt. Ecce vero apud Holmesium Συμεὼν addunt 8 Codd., Ed. Compl. Ald. Alex., Cat. Nic, Slavon., uncis inclusum Georg., margo Arm. Ed. — Cf. etiam Dathii nota.

Gen. IV. 22 Graeci omiserunt vocabula קין et כל, de quo cf. Dathius. Nullus Codex ea addidit. In Kennic. Codice 18 omissum est כל.

XVII. 15. כי שרה. Gr. Σάῤῥα. — ἀλλὰ Σάῤῥα habent 35 Codd., Ed. Compl. Ald. Alex., Cat. Nic, Philo, Chrysost., Cyr. Alex., August., Versio Slav., Arm. 1, Arm. Ed, Georg.

23. את בשר ערלתם. Kenn. Codex 2 בשר habet supra rasuram. Gr. τῆς ἀκροβυςίας αὐτῶν. Codd. 11, Cat. Nic, Copt. habent τὴν ἀκροβυςίαν. Plene habent τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυςίας 11 Codd., Cyr. Al., Slav., Arm. 1, Arm. Ed. Grabius putabat, verba τὴν σάρκα τῆς sub asterisco ab Origene adjecta esse, quam sententiam ipse suo asterisco significat.

XXXI. 53. אלהי אביהם Gr. omiserunt. — Samar. אלהי אברהם sive vitio scribarum, ut vult Dathius, sive ut de vero Deo sermo esset; cf. Mich. Or. B. XXI. 193. Sic tamen etiam nonnulli in Hebr.; cf. De Rossi. — Nonnulli in Hebr. אביכם cf. De Rossi. — Eadem in Hebr. 2 Codd. Kenn. omittunt, de quo cf. denuo De Rossi. — Apud Holmes. omissa verba cum nonnullâ varietate addunt 5 Codd. et una alteraque versio. Sed Arab. 1 in margine notat, hoc esse additamentum. Codex IV. habet ἀνὰ μέσον ἡμῶν καὶ αὐτῶν καὶ ὤμοσεν cet. Sed additis αὐτῶν καὶ praefigit asteriscum.

Exod. VIII. 1. quod in Gr. vers. est comma 5. Textus Hebr. verba habet על ארץ מצרים omissa in versione Graecâ. At vero addunt ἐπὶ τὴν γῆν Αἰγύπτου Codex 15, 58, 64, 72, 83 et Ed.

Digitized by Google

Aldina: habet eadem margo antiquâ manu VII. Addunt item Arm. 1, 2 aliique, Arm, Ed.

XX. 19. Hebr. ונשמעה. Samarit. ושמענו ועשינו. Graeca versio haec prorsus omittit. At Hebraicam lectionem addunt καὶ ἀκουσόμεθα Codex 15 et 72, Arm. 1 aliique, Arm. Ed. Suprascripsit alia manus in Cod. 130. *ut audiamus* Arab. 1, 2.

XXXI. 8, 9. — Gr. vers. 8 initio addunt καὶ τὰ θυσιαςήρια nullo Codice aut versione omittente. Mox omittunt, quae sunt in Hebr.: sed nonnulli Codd. ea supplent. Holmesius: „margo Codicis 85 καὶ τὸ θυσιαςήριον τοῦ θυμιάματος, καὶ τὸ θυσιαςήριον τῆς ὁλοκαυτώσεως, καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτῆς. et sic cum nonnullâ varietate Codex 72, Arab. 1, 2, Codd. Armeni, Arm. Ed.: Codex 1 Armen. cum asterisco." — Ex alio Interprete haec sumta esse vult Montfauc., qui Cod. 85, i. e. Basiliensem, jam contulerat.

Deut. XXXIII. 3. καὶ πάντες οἱ ἡγιασμένοι ὑπὸ τὰς χεῖράς σου. Post ἡγιασμ. omiserunt αὐτοῦ, quod difficultatem habet, ob quam Michaëlis in Nova Or. B. V. 241 sq. suspicatur, αὐτοῦ, si vel maxime fuerit in Graecis, tamen postea a librariis omissum esse. At vero 7 Codd. etiamnum habent αὐτοῦ. Sequens σοῦ in αὐτοῦ mutarunt 10 Codd., et praeterea Theodoret., Copt., Arab. 3, Slav. Ostrogiensis.

Ex. VIII. 19. in Gr. 23. יהיה האת הזה *erit signum hoc*. Gr. ἔςαι τοῦτο ἐπὶ τῆς γῆς. Omissum האת habent τὸ σημεῖον τοῦτο 35 Codd., Ed. Compl. Ald. Alex., Cat. Nic, Copt., Arab. 1, 2. Slav., Georg., Arm. 1, 2 aliique, Arm. Ed. — Addita ἐπὶ τῆς γῆς omittunt 24 Codd., Cat. Nic., Arab. 1, 2.

Gen. XXXIII. 4. וישקהו vox superne punctis notatur, de quibus cf. Montf. in nota, et Eichh. Introd. § 118. Gr. versio καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. Hoc verbum, vel simplex ἐφίλησε, sive cum pronomine αὐτὸν, sive sine eo, ante superiora καὶ προσέπ. ἐπὶ τὸν τράχ. αὐτοῦ posuerunt 38 Codd., Codex 118 in Addendis notatus,

Ed.

Ed. Compl. Ald. Alex., Cat. Nic, Chrysost, Verss. Slav. Ostrog, Georg, Copt, Arab 1. 2. 3. Obelum verbis 'εφίλησε καὶ praemisit Codex IV, indeque Grab. in Ed. Alex. — Codex 25 ea prorsus omittit. Loco vulgari sub finem versûs ea etiam habent Codex IV et 4 alii, Arab 1. 2, quanquam ea paulo ante transposuerant.

§. 13. *De scriptura nominum propriorum.*

Variae propriorum nominum scripturae haec sunt specimina.

Gen. II 8. 10. 'Εδὲμ omnes Codd. retinent pro 'Εδέν, — IV. 16. unus Codex 135 habet 'Εδέν. Cf. Schleusn. Opusc. p. 218.

X 22 et 24 et XI 12, 13 in Gr. Versione additur Cainan, filius Arphaxadi, sequente Luca in Euang. III 36 (apud quem in uno tantum Codice Bezae omittitur): in Hebraeo omittitur. Holmesii varietas haec est: „ Cap. X. 22. καὶ Καϊνᾶν erasa in Codice 56, omissa in Cod. 53 et 82, Alex., Hieron., Arab. 2, Arm. 1, Arm. Ed. — Versu 24 additamentum de Cainane omittunt Codd. 15, 82, 135, Theoph., Hieron., Copt., Arab. 3, Arm. Ed. — Cap. XI 12, 13 καὶ ἐγένν. τὸν Καϊνᾶν usque ad καὶ ἐγένν. τὸν Σαλά omittit Codex 82, Arm. 1, Arm. Ed. De obelo iis praemisso fidem facit Procop.; pro secundo ἔζησεν Καϊνᾶν Codex 82, Arm. 1, Arm. Ed. habent ἔζησεν 'Αρφαξάδ." Praeterea notatur in Addendis: Versu 13 pro τὸν Καϊνᾶν, ἔτη τετρακόσια legitur τὸν Σαλὰ ἔτη υγ in Cod. 53. Idem Codex omittit καὶ ἔζησε Καϊνᾶν ἑκατὸν καὶ τριάκ. et cetera in commate sequentia." — (Cf. Hodius p. 268 sqq).

XLI. 45. Nomen AEgyptiacum, de quo cf. Jablonsk. Opuscul. a Viro Cl. Te Watero editorum Tomo I p. 207. Codd. Holmesii omnes satis conveniunt in scriptura ψονθομφανὴχ vel ψομθομφανήχ.

XLVI. 20. Notissima est hujus loci comparatio cum Lucaneo in Actis VII 14. Nempe Manassae et Ephraimi posteri quinque

in vers. Gr. memorantur, quorum nulla mentio est in Hebraicis. Retinuerunt ea nomina Codd. Holm., nisi quod totus locus inde ab ἐγένοντο usque ad Ἐδὼμ (sive Ἐδὲμ ut multi Codd. habent) obelo notatur in Codice X, quod jam notaverat Montfauc. in Append. ad Hex. p. 671.

21. Hebr. addit וחפים *et Chuppim*. Versionis Editio Romana hoc nomine caret. Sed 37 Codd. addunt, licet singuli fere peculiarem scripturam habeant καὶ Ὀφιμὶμ, καὶ Φιμεὶμ cet.: praeterea Ed. Compl. Ald. Alex., Cat. Nic., Verss. Arm. 1, Arm. Ed., Arab. 1. 2, Slavon, Georg., et Codex 52 notatus in Addendis.

Exod. I. 11. Πειθὼ nomen urbis, de quo cf. Te Water Vir Cl. in Auctario ad Jablonsk. l. l. p. 447 voce Pithom. 30 circiter Codd. in fine literam addunt sive μ sive φ sive θ. Eodem modo versiones.

§. 14. *De Pentateucho Samaritano.*

Quum Pentateuchi Hebraici duplex hodieque sit ex Antiquitate superstes recensio, Masorethica et Samaritana, dudum omnes fateri debuerunt, Versionem Graecam passim magis convenire cum Pentateucho Samaritano, quam cum Masorethico sive Hebraeo. Cujus rei caussam fuere qui quaererent Buxtorfius in Anticritica, J. G. Carpzov. (in Crit. S. p. 503), in Graecae Versionis mutationibus ac correctionibus inde ab Origene factis; recte autem notavit Hassenkampius (in libello Germanico p. 216) jam in Philone aliisque ante Origenem Scriptoribus loca citata ex Versione Graecâ cum Samarit. Codice magis convenire. Contra et alii ab eo citati (*s*), et

(*s*) Postellus, de Dieu, Seldenus. Whistonum addit Carpzovius. — Postellus autem tantummodo contendit, literas Samaritanas Hebraicis antiquiores esse, et inter alia argumenta hoc habet, nomen divinum in nonnullis

et ipse J. H. Hottingerus (in Thesauro Philol. p. 295—306) suspicati sunt, Versionem Pentateuchi Graecam continuo factam esse ex Codice Samaritano: at superiores leviter hujus opinionis quasi semina sparserant, et ipsi Hottingero multum de ejus veritate dubitationis supererat. Whistonus autem parum novae lucis attulisse videtur (t). Itaque res ea in medio relicta est, donec eandem sententiam Ao. 1765 (u) dedita opera tuendam suscepit juvenis adhuc Jo. Matth. Hassenkampius, is qui postea aliis scriptis inclaruit, et Ao. 1797, teste Viro Cl. Wyttenbachio in Vita Ruhnk. p. 149, cum haud mediocri eruditioris Theologiae detrimento in Academia Rintelensi Professor diem obiit. Atque hujus disputationem probavit Eichhornius in Introd. § 387, 388, Vol. II. (p. 165 Edit. Belg.). Alios, qui postea assensum praebuerunt, indicat auctor super Bibliotheca Fabriciana (Vol. III 669), et Eichstaedius ad Mori Acroases Vol. II p. 57.

Sane certis argumentis comprobarunt Viri docti, inprimis Hassen-

lis τῶν ὁ Codd. duabus jotis scribi, itaque fieri etiam apud Samarit.; de quo cf. Hassenk. Comment. p. 10 in nota. Ergo putavit, Versionem Graecam esse factam ex Codice literis Samaritanis scripto: hoc autem aliud est, quam si dicas, eam factam esse ex textu, qualis hodieque fertur, Samaritano. — De Dieu, ac Seldenus verbo tantum notarunt, saepius consentire τοὺς ὁ et Samarit. — Ab Hassenkampio item Jo. Buxtorfius Filius pro hac opinione advocatur. Sed is quoque in transitu hoc attigit.

(t) In libro Anglice scripto *Tentamine restituendi* cet. — Nova editio Bibl. Gr. Fabric. III 668 memorat J. G. Abichtium, qui in Praefatione quadam Ao. 1710 edita item Hottingerum secutus esse videtur.

(u) In Commentatione *de Pentateucho* LXX *Intpp. Graeco non ex Hebraeo sed Samarit. textu converso* Marpurgi. 1765 in 4°. et in libello Germanico sine nomine edito Mindae 1775 in 8 min. *de reperta vera origine antiquarum Versionum Sacrarum* (*Der entdeckte wahre Ursprung der alten Bibeluebersetzungen*).

Digitized by Google

senkampius, Versionem Gr. potius e Samaritano, quam e Masorethico aut hujus similiore Pentateucho ductam esse. Attamen fateor, illam sententiam, qua Versio Gr. unice e Samaritano ducitur, mihi minime probari; neque idoneis rationibus hanc sublatam esse ejusdem reprehensionem, plurima loca Versionis Graecae vel maxime contra Samaritanum cum Codice Hebraeo consentire, quae vim argumenti e contrariis locis petiti valde imminuant. Scio equidem, Hassenkampium hanc difficultatem expedivisse arguendâ corruptâ scripturâ Codicis Samaritani (v) pariter ac Graeci (w), quae modo Criticae Artis praesidiis ad primae scripturae veritatem revocetur, omne propemodum discrimen inter utrumque sublatum iri. At vero ipse alibi (x) recte animadvertit, in Samaritano ob majorem scriptorum exemplorum paucitatem non adeo magnum locum (y) tam vehementer mutandis lectionibus fuisse. Et quamvis major depravatio in Graecae Versionis exemplis obtinuerit; quamvis illud item concedamus, quod Hassenk. in libello Germanico inde a pag. 235 usque ad 246 satis probavit, in versionem Gr. inde ab Origene per multa Saecula magis magisque deinceps lectionum Masorethicarum permagnam vim illatam esse; tamen et nimia est differentia utriusque in minutis atque in gravioribus rebus, in singulis vocibus, integris dictionibus ac sententiis, earundem transpositionibus, in longioribus etiam vel omissionibus vel additionibus, in omni genere maioris minorisve momenti variarum lectionum (z); et insignis adeo manet numerus locorum, quibus ex tot tam diver-

sa-

(v) Comment. p. 17: in libello p. 235 sqq.

(w) Comment. § 26: in libello p. 235 sqq.: sequente Eichhornio Introd. Vol. II p. 171 sq.

(x) In libello German. p. 253—255.

(y) Cf. tamen Michaëlis Introd. in V. T. § 66 pag. 586—589 edit. Belg.

(z) Cf. Michaëlis Introd. in V. T. § 66 pag. 652, 653 ed. Belg.

sarum aetatum, quot nunc adhibitae sunt, Artis Criticae copiis ad tollendam differentiam nihil auxilii undecunque affertur; ut dissensus ille omnino ex aliâ qualibet, potius quam ex solius corruptae scripturae caussâ nobis repetendus esse videatur.

Itaque Versionem Graecam nos ex neutrius recensionis exemplo sumtam esse putamus, sed ex ejusmodi libro, qui recensionem haberet inter utramque quasi intermediam, ut modo hanc postea Masorethis probatam scripturam referret, modo Samaritanam, modo discedentem ab utraque. Et Eichhornius quum Introd. Vol. II § 388 (p. 168 Edit. Belg.) ex Samaritano Codice Graecam Pentateuchi Versionem duxisset, postea in Addendis Vol. IV p. 28 (in Ed. Germ. 3. Vol. I p. 142) nobis rectius scripsisse videtur, Interpretes ejusmodi exemplo usos esse, cui cum Codice hodieque Samaritanis usurpato arcta cognatio esset. Alibi quoque (Vol. II p. 173 in nota) verum Versionis fontem adhuc latere declarat. Eichstaedius item (ad Mori Acroas. II 57) refert, „ Pentateuchum vel ex Samar. Codice, vel ex Hebraico certe, qui proxime accederet ad Samaritanum figurasque literarum Samaritanas, Graece conversum esse." Similia suspicatus est Michaëlis Introd. in V. T. § 66 pag. 653 Edit. Belg. De Rossius quidem in Prolegom. Vol. I Sacrorum Codicum Hebraeorum etiam satis diu post Esdram duplex genus fuisse existimavit, alterum recensionis Esdrinae (§ VII), alterum quod antiquis Codicibus constaret; idque confirmat (§ VIII) auctoritate scriptoris Rabbini, ab aliis quoque citati (Carpzov. p. 503. Hassenk. Comment. § IX). Hos vero antiquiores item in quatuor genera descripsit (§ VIII), Cuthaeum vel Samaritanum; Israeliticum et Assyriacum, idque cum Samaritano consentiens, quippe hujus parens; AEgyptium, unde forte Graeca sumta sit Versio, quae cum Samarit. et Israelit. Codd. congruit, et ab Esdrinis valde recedit; denique Babylonium Judaeorum, qui reversi non sunt. Ita, sic pergit pag. IX, „ ita duplex evasit Codicum genus, quod hodie-

hodieque perdurat, Israeliticum alterum, antiesdrinum, inemendatum, ad quod spectat Codex Samariticus, et LXX Intpp. versio; alterum Judaicum, Palaestinum, Esdrinum, reformatum, quod sistunt Codd. Hebraici." Atque in eandem sententiam scripsit § XXVIII: ut, quum aliquam certe diversitatem inter Aegyptios et Samarit. Codd. De Rossius relinquat, eruditissimum virum ipse meae auctorem adeo habere mihi videar sententiae; dummodo Aegyptius ille, sive Graeci parens Pentateuchus aliquanto magis a Samaritano diversus fuisse existimetur.

Quod autem Eichhorn. Introd. Vol. II § 388 in notâ conjecit, Pentateuchum non a Judaeis, sed a Samaritanis, Graece redditum esse; eandemque conjecturam aliqua veri specie ornavit paulo post annis allatus Abu 'l Fatachus (cf. Eichh. Biblioth. III 315 Introd. Ed. Germ. 3. Vol. I. p. 337, item Hassenk. *de Pentat.* § XXX); perexigua sane est auctoritas in hac caussa scriptoris et recentissimi et Samaritani.

Praeterea inde ab aetate Origenianâ in Codd. Versionis Graecae peculiare notari coepit lectionum genus *τοῦ Σαμαρειτικοῦ*: manifesto indicio differentiae inter recensionem Versionis Graecae et Samaritanam. Sed hoc non urgebimus, quoniam *τοῦ Σαμαρειτικοῦ* hujus Graeca Versio valde dubiae est auctoritatis. Cf. Montfauc. Praelimin. in Hex. Cap. I. § VIII, IX. Eichh. Introd. I § 208. Nova Editio Fabric. III. 660, 696, 697, 712. Neque vero recentior, sed primaeva Versionis Graecae scriptura nunc in quaestione versatur.

Quandoquidem vero cum alii, tum Hassenkampius tam multus ac prope nimius fuit in arguendâ Versionis Graecae per omnem aetatem sedulo institutâ ad Masoram conformatione, ac sollicite id egit, ut ab omnibus, quotquot ipsi adessent, auctoribus testimonia scripturae Graecorum Interpretum Samaritanae impertirentur, idemque crebro se dubitare negavit, quin in posterum plures etiam por-

prodirent a Masorae contagione integri priscarum lectionum testes; operae pretium facturi videbamur conferendis compluribus ex hoc genere locis. Quo facto illud intelleximus, haud plane fallacem hanc spem fuisse, siquidem multis in locis, non modo quae lectionem Samaritanam habebant, Codices eam ad unum omnes fideliter servarunt; sed etiam quae in Editionibus ab eâ discedebant, testes bonitate, antiquitate, ac numero spectabiles obliteratam Samaritanam in lucem revocarunt: at vero etiam Masorethica non modo saepius secure rescdit, verum subinde quoque Samaritanam e sede, quam adhuc tenebat, expulit; quod ei in his locis quamvis nonnunquam Judaizantium ac Pseudocriticorum ope contigerit, tamen semper contigisse, nisi ipse Samaritanus, non facile, opinor, tot jam excussis Codd., Verss., Patrum scriptis, quisquam amplius affirmaverit.

Jam vero quo magis id, quod posuimus, certis argumentis confirmetur, de variis locis ipsos testes ex omni aetate ab Holmesio excitatos audiamus.

§. 15. *Interpretum Graecorum lectiones Samaritanae non conversae a posteris in Masorethicas.*

Gen. I. 14 *Dixit Deus: sint lumina in spatio coelorum ad discernendum diem et noctem* השמים להבדיל בין cet. — Textus Samarit. hisce interpolatur השמים להאיר על הארץ ולהבדיל cet. Pariter Versio Gr. *τοῦ οὐρανοῦ εἰς φαῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς τοῦ διαχωρίζειν* cet. — Aquila, ut textus Hebr., habet *τοῦ οὐρανοῦ τῷ διαχωρίζειν* cet. Reliqui Intpp. Hexaplares hoc loco perierunt. — In textu Hebr. ולהבדיל cum ו habet Kennic. Codex 157. De Rossius haec notat: „ השמים להאיר על הארץ Cod. meus 766. Qui tamen

punctis vocalibus Codicem instruxit, vix iis priores controversorum verborum literas ornavit, reliquas praetermisit. Occurrunt haec verba versu proxime sequenti." Codicem illum 766 De Rossius in clavi Codicum pag. CXXIII notat „ esse Saec. XIV, non Masorethicum." Quod autem ad omissa puncta attinet, tenendum est, quod monet Eichhorn. Introd. § 106, punctatorem saepe diversum fuisse a scriba. Itaque punctator hujus Codicis fuit Masorethicus. — Holmes. notat, ἐπὶ in compluribus omitti. Porro „ vocibus εἰς φαῦσιν cet. obelum praemittit Alexandr., sed sine signo finali, quod ostendat, quousque pertingat vis signi praemissi. Habet sub obelo Arab. 1." Hinc perperam retulit Eichhorn. Bibl. Univers. VII 918, in *Codice* Alex. haec verba obelo notari. At fallitur. Nam obelos Grabius addidit; ipse Codex his notis diacriticis caret. — Pergit Holmes. „ vocibus εἰς φ. ἐπὶ τῆς γ. subjungit Codex I καὶ 'αρχέτωσαν τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς ex recentiore manu, sed, ut videtur, super vestigia literarum primarum. Aliter subjuncta habent καὶ ἄρχειν τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς Codices X, 59, 75, 129. eadem Severianus. Paulo aliter Athan. et Victorin." Porro pro τοῦ διαχ. legitur καὶ διαχ. in 12 Codd., Edit. Alex., Theoph. in MS. Bodl., Athan., Arm. 2, Arab. 1, 2, 4. Fortasse utraque lectio jungenda est καὶ τοῦ διαχωρίζειν. — Omnino melior est lectio Hebraea, (quamquam secus videtur Scheidio l. c. p. 17 sq.). Sed lectionem Versionis Graecae Samaritanam Origenes non potuit exstirpare e posterioris aevi Codicibus Graecis.

II. 2. Notissima differentia est inter Pentateuchum Hebraeum, qui tradit, *die septimo* Deum opus suum absolvisse, ac Samaritanum, qui una cum versione Graeca habet: *die sexto.* Interpretum recentiorum, veluti Cappelli Crit. S. III 20 § 17 lectioni Samaritanae faventis, et Hottingeri l. c. p. 249 ac Michaëlis Bibl. Or. XXI. 190 eandem repudiantis, sententias nunc non adeo quaerimus, quas fuse exponit Carpzov. Crit. S. pag. 817, et Scheidius

l.

l. c. p. 23 sq., verbo indicat Montfauc. in Hexaplis; idemque in Append. p. 658 notat ex margine Codicis Coislin., ceteros, praeter τοὺς ό, Intpp. Graecos habuisse *die septimo*. Apud Kennic. in Hebr. textu השביעי omittunt Codex 325 et 474. עי supra rasuram est in Codice 478. Holm. Codicem nullum pro lectione τῇ ἑβδόμῃ memorat, tantummodo 4 Patres, qui partim et ipsi lectionem τῇ ἕκτῃ sequuntur. De Philone vid. Hornemanni Specim. II. p. 85 sqq.

19. Samar. et Gr. interponunt *adhuc*. Nullus omittit, praeter Euseb. et Arab. 3. — Voculam probat Scheidius l. c. p. 39.

IV. 8. διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον. Est addimentum Samar. et versionis Gr., de quo testimoniorum sententiarumque diversitatem enumerant Carpzov. Crit. S. pag. 819 et Michaëlis l. c. apud Dathium. Ampla item De Rossii est annotatio; ut et Scheidii l. c. p. 101—104. Cum Scholiis Montfauconianis conferenda, quae Holm. in App. ex Codice 127 enotavit: ταῦτα ἐκ τοῦ ἀποκρύφου δοκεῖ ὑπὸ τῶν ό εἰλῆφθαι. ἔχειν δὲ (sic) αὐτὰ τὸ Σαμαρειτικόν· ἐν γὰρ τῷ Ἑβραϊκῷ οὐ γέγραπται, οὐδὲ ἐν τοῖς περὶ τὸν Ἀκύλαν. Ceterum haec habet: antecedentibus καὶ εἶπε praemittunt virgulas Arab. 1 et 2. Sed neuter habet signum finale. Referenda videtur utriusque signi vis ad vocabula διέλθ. εἰς τὸ π. Virgulam praemittit Grabius. Codd. 16 δὴ addunt διέλθ. δὴ εἰς τὸ πεδ.

VII 2. Samarit. et Gr. discedunt ab Hebr., cum in repetito *duo*, tum in ἄρσεν καὶ θῆλυ, de quo cf. Hassenk. *de Pentat.* LXX *Intpp. Graeco* pag. 22. At nullam prorsus Holmesius affert lectionis varietatem.

3. Addunt *puris*, suspectum Dathio, repudiatum Michaëli O. B. XXIII. 107. Manet tamen in versione Gr. Nam quod sola Complut. omittit, nil nos moratur.

XVIII. 3. Dathius notat, Masorethas vocem אדני legi voluisse cum Kametz, ut sit nomen Dei, atque inde quosdam Codd. Kenn.

 et

et Onkelosum habere יהוה: Samaritanum autem legi voluisse cum Patach, ut sit nomen plurale, cujus rei caussam enarrat Michaël. Or. B. XXI. 192: ipsi autem legendum videri cum Chirek *Domine mi*, quod etiam vult Mich. Or. B. IX. 188. — Quamvis autem Gr., qui *κύριε* habet, hic non cum Samarit. faciat, satis tamen apparet, eum non unice Masorethicae lectioni favere. — Apud Holmes. Fulgentius habet: *Dominator domine*, quod respondet lectioni, quam 2 Codd. Kenn. habent, יהוה אלהים. At hoc non moramur. Sahid. habet *domini*. Copt. et Sahid. addunt *mei*: hi igitur, ut Samarit. — Graecus versu 27 habet Κύριόν μου, ubi monet De Rossius, eum igitur non potuisse legere יהוה, quamvis complures Masoreth. Codd. ibi id habeant. Obstat tamen, quod Codex Cotton., Vatic., Alex., Coislin., et 22 minoribus literis conscripti, Ed. Compl., et versiones nonnullae ibi *μου* omittunt. Contra versu 31 illud addunt 15 Codd., quamvis rursus nonnulli Codd. Masoreth. legant יהוה.

XIX. 18. Hic item Dath. aliquid notavit, et Kenn. Cod. 108 habet יהוה אדני. Gr. Κύριε. Contra apud Holm. „ Κύριοι in Codice 72 et Arm. Ed. — *mi* addunt Copt., Arm. Ed."

XXIII 2. Addunt: *quae est in valle*. Haec obelo aut lemnisco signat Codex X.

XXIV. 15. Addunt: *in mente sua*. Holm. „ Omittit Chrysost.: praemittit virgulam Alex. [Editio nempe], ut et Catenae MSS. a Montfauc. citatae. τὸ δὲ, ἐν τῇ διανοίᾳ, ὠβέλισται, ὡς μὴ κείμενον ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ Procop." Nulla cernuntur obeli vestigia.

XXXVI. 24. Nullus Codex restituit particulam ante nomen Aja. De re ipsa vid. Mich. O. B. XXIII. 120.

XLI. 16. Particulam negantem nullus Codex omisit. — Cf. Scharfenb. Animadvv. ad Fragm. verss. Gr. Specim. I p. 40 sq.

43. תרתן. Samar. תתן et sic item in Hebr. nonnulli Codd. apud

Kenn.

Kenn. et De Ross. Hinc Dathius, et De Ross. efficiunt, a Graeco lectionem Samarit. expressam esse. Nullus certe apud Holmesium Codex Masorethicam restituit.

XLIII. 27. Additamentum *καὶ εἶπεν· εὐλογ.* cet. nullus Codex omisit.

Exod. XIII. 5. Uterque addit: Pheresaeos et Gergesaeos. Nullo in Codice omittuntur.

XX. 10. Uterque addit: *in eo* scil. die: nulla varietate.

17. Addunt: nec agrum ejus. Obelum praeponit Grab. in Edit. Alex. Omittunt Arab. 1, 2. Paucos Hebr. Codd. et locum parall. citat De Rossius.

XXII. 5. *ἀποτίσει* cet. Satis amplum additamentum, nulla varietate, praeter hanc: „ margo." in quibusdam exemplaribus deprehendi etiam haec: *tenetur pro eo, et mulctabitur, eritque ager* cet. haec redundant in Hebraeo. „ Sic Annotator, Arab. 1."

XXV. 9. Additamentum *in monte* nullus omittit.

§. 16. *Lectiones Samaritanae conversae in Masorethicas.*

Gen. XXIX. 34. Hebr. קרא. Samar. קראה. unus tamen Cod. Kenn. קרא. Gr. *ἐκάλεσε*. MS. Alex. *ἐκλήθη*. Hinc Michaël. Or. B. IX. 198 efficere cupit, lectionem *ἐκάλεσε* respondere Samaritanae, *ἐκλήθη* Hebraeae. Quidquid sit, nullus Codex praeter Alex. habet *ἐκλήθη*.

Ex. III. 16. Hebr. את זקני ישראל. Samarit. addit בני. Gr. *τὴν γερουσίαν υἱῶν Ἰσρ.* — Teste Holmesio, *τῶν υἱῶν* omittit Just. M. et 5 Codd.: suprascriptum in Codice 18 a secunda manu *τοὺς πρεσβυτέρους*. Aquilae est, cujus nomen praeponit Codex 64. Cf. Montfauc. Tom. I. p. 674.

VI. 27. Hebr. ממצרים. Samar. מארץ מצרים. Gr. *ἐκ γῆς Αἰ-*

 γύπ-

Digitized by Google

γύπτου. 9 vel 10 Codd. in Hebr. item legunt, ut Samar. Cf. nota De Rossii. Montfauc. Ἄλλος . . . . ἐξ Αἰγύπτου. Apud Holmes. ἐξ Αἰγύπτου 34 Codd., Ed. Compl. Ald. Alex., Cat. Nic., Arab. 1, 2, Arm. 2 aliique, Arm. Ed.

Num. XXI. 21. Praeeunte Samaritano, Graeca Versio addit λόγοις εἰρηνικοῖς. Omisit ea Codex 58, Ed. Compl., Arab. 3. Obelum praemittunt Arab. 1, 2, indeque Grab. in Ed. Alex.

§. 17. *Lectiones Masorethicae non conversae in Samaritanas.*

Gen. XXX. 36. Additamentum habet Samarit. de Angelo loquente cum Jacobo. Graeca Versio id non habet. Neque ullus Codex id addidit.

XLII. 1. Hebr. תתראו (unus Kenn. Codex habet תראו). Samarit תתיראו. Apud Kennic. Codex 16 habet, ut Text. Hebr., תתראו. — Graeca Versio habet ῥαθυμεῖτε. — De qua Graecum inter, et Samaritanum, differentia vid. Michaël. Or. B. XXII 201. — Holmes. nil praeter haec habet: „ ῥαθυμεῖται Codex I et 75. ῥαθυμῆτε 18 et 131" et in Addendis: „ ἀθυμεῖτε Codex 118:" quae lectiones exstitisse videntur per omissam ρ initio vocis, et vocales pronunciandi diversitatem.

XLV. 19. Hebr. ואתה צויתה. Gr. σὺ δὲ ἔντειλαι ταῦτα. Samarit: ואתה צויתי. Cf. Michaël. Or. B. XXII. 202. — At nihil habet Holmes. de prima persona loco secundae.

22. Hebr. חלפות. Gr. δισσὰς στολάς. Michaëlis l. c. mavult singularem, eumque elicere studet ex Samarit. חליפת, et ex 3 Codd. Hebr. qui habent sine ו. Imo habent 9 Codd. sine ו. At vero quam incerta haec sit ratio, apparet e sex Codd., qui in textu Samarit. ו addunt. — Quod autem ad Graecum attinet, nullam Holm. habet varietatem.

Ex.

Ex. VI. 9. Samarit. addit responsum contumacium Israëlitarum. At nullus Codex id Graecae versioni addidit. Tantummodo id in textu habet Arab. 2: in margine Arab. 1.

VII. 18. Additam. Samar. nullus Codex Gr. addidit. Arab. 2 id habet in textu: Arab. 1 in margine.

29. (in Gr. VIII 4). Holmes. „ Arab. 2 addit in textu: et fecit (vitiose pro: ingressus est) Moses et Aaron ad Pharaonem. — Arab. 1 margo habet locum integrum, qui est in Samarit."

VIII. 1. Denuo verborum praecedentium repetitionem Mosi tribuit Samar. — At neminem, qui eam praeterea habeat, memorat Holmes.

19. In Samar. est versus 23. item in Gr. — Samarit. hic habet additamentum, quo carent Graeci Codd. omnes. Holmes. autem versu 26 ad verba Θεῷ ἡμῶν notat: „ ad hunc locum refert margo ea, quae in Samarit. post comma 23 subsequuntur, Arab. 1."

IX. 6. Holmes. notat: „ huic commati praemittit eadem, quae habet in h. l. textus Samarit., Arab. 1."

19. Holm. „ habet hic margo eadem, quae sequuntur in textu Samarit, Arab. 1."

XVIII. 24. 25. Habet Samarit. additamentum. Holmes. notat comm. 24: „ Ad finem hujus comm. Arab. 2 habet aliqua in textu, quibus monetur, nonnulla esse ad h. l. in textu Samarit., quae tamen haud sint in textu Hebr.: habet margo Arab. 1 consimilem annotationem."

XX. 17. Holmes. „ margo monet ea, quae hic sunt in Samarit., alibi in Hebr. haberi Arab. 1, 2."

19. Holmes. „ margo commemorat hic discrepantiam exemplaris Samarit. et Hebr., Arab. 1."

21, 22. Inter haec duo commata additamentum habet Samarit. Nullum vero cujusquam aut Codicis aut Versionis additamentum Holmesius memorat.

XXXIV. 29. בידי משה in manu Mosis. — Samarit. בידו in ma-

manu ejus. — Gr. ἐπὶ τῶν χειρῶν Μωυσῆ. — Hassenk. in libello German. p. 245 notat Chrysost. et Augustin. (*) non habere *Mosis*, sed *ejus*. At nimis cupide videtur haec loca arripuisse. Holm. nil habet praeter hoc: 'εν ταῖς χέρσιν αὐτοῦ. Chrysost.

Levit. VII. 21. in Gr. est vers. 11. שקץ *abominatio*. Ita etiam Gr. — Veram lectionem, quae est in Samarit. שרץ *reptile*, habent etiam nonnulli Codd. Hebr. Cf. nota De Rossii. — At Gr. Codd. omnes falsam lectionem Masorethicam retinuerunt.

Num. III. 39 Text. Hebr. habet ואהרן punctis supernis notatum, de quibus cf. Eichh. Introd. I. p. 202. §. 118. — Caret hac voce Samarit.: item 8 Codd. Kennic., et 3 vel 4 apud De Rossium, qui et nonnulla annotavit. — At nullus Holmesii testis eam omittit, praeter Arab. 1, 2.

XII. 16. Habet Samar. additamentum. Nec tamen quid habet Holm.

XX. 13, 14. Quae inter haec duo commata Samaritanus interponit, nusquam in libris MSS. Holmesianis apparent.

XXI. 20 et 21. in Gr. 19 et 20. Nullus Holm. Codex aut Versio habet Samarit. additamentum.

XXII. 5. Hebr. habet עמו *populi ejus*. Ita etiam Gr. λαοῦ αὐτοῦ. At Samarit. habet עמון *Ammonis*. et sic 20 circiter Codd. Hebr. apud Kennic. et De Ross., cujus annotatio cf. ad h. l. — Nil vero memoratu dignum in variis lectt. habet Holmesius.

Deut. XXXI. 7. תבוא. — Samar. תביא quod habent item Codex 4 et 150 Kennic. — 21 Codd. Kenn. habent תבא. — Cf. nota De Rossii ad h. l., et Michaëlis in Nova Or. B. V. 229. — Holm. autem nullam varietatem habet. Itaque manet εἰσελεύσῃ convenienter textui Hebraeo.

§. 18.

(*) Hassenk. citat Quaest. in Exod. 166. Quem locum ut inspiceret, roganti mihi Voorstius V. Cl. haec respondit: „Legitur ibi in manu *ejus*. Haec vero non ad XXXIV. 29 spectant, sed ad XXXII. 15, ubi tamen in Hebr. *Mosis* non fit mentio."

Digitized by Google

§. 18. *Lectiones Masorethicae conversae in Samaritanas.*

Hassenkampius in Commentat. *de Pentateucho* § 26, et in libello Germanico *de reperta vera origine veterum Versionum Biblicarum* p. 240 attulit specimina variarum lectionum Versionis Graecae, quae propius, quam Editio Vatic., accederent ad Textum Samaritanum. Sumsit autem has varias lectt. ex 3 Codd., Cottoniano, Oxoniensi, et Alexandr., quorum lectiones cognoverat ex Opere Polyglotto Londinensi, ac Grabii Editione. Est autem Cottonianus Holmesio Codex I, Oxoniensis Holmesio Codex 75. Jam nostrum est referre, quatenus horum Codicum lectiones Samaritanas etiam aliorum Codicum testimonio confirmentur.

Gen. XII. 20. Hassenk. l. c. „Hebr. et Gr.: et omnia, quae erant illi. Samar. et MS. Alex. addunt; *et Lotho cum illo.* Ita et Augustin. in Locutionib. de Genesi." — Ex Holmesio apparet, eadem verba, in uno alterove paululum mutata, inventa esse in 27 aliis Codicibus, praeterea in Edit. Complut. et Ald., et Cat. Nic., in versione Copt., Slav., Arm. 1, Arm. Ed. 1 Chrysost. IV. 328 habet αὐτῷ καὶ τὸν Λὼτ μετ' αὐτοῦ. Et sic habent in Accusat. vel τὸν Λὼτ, vel sine Articulo Λὼτ, omnes illi Codd.

XXIV. 45. Hassenk. „Heb. et Gr. da mihi bibere. Samar. cum Cod. Cotton. addunt: *parum aquae.*" Apud Holmes. μικρὸν ὕδωρ addunt 9 Codd. et Ed. Compl. — In his vero Holm. non memorat Codicem I sive Cottonianum.

ὑπὲρ οἶνον. Just. l. c. ἀπὸ οἴνου. Et sic I, X, 38 Codd. minorib. literis, item VII et 83 sed depravate, porro Ed. Compl. Ald. Alex., Patres antiquiores multi, Copt., Arab. 1, 2. 3, Slav. Ostrog., Arm. 1, Arm. Ed. — Cf. Grab. l. c.

ἢ γάλα. Perperam Just. l. c., Codex 53, et versio Georg. ὡς γάλα. Cf. Grab. l. c.

Exod. III. 2. ἐν πυρὶ φλογὸς ἐκ τοῦ βάτου. — Holmes. „Ita Codex 37 et 118, sed in marg. ἐν φλογὶ πυρός. Codex VII et 25 Codices minor. literis ἐν φλογὶ πυρὸς, ita etiam Ed. Compl. Ald. Alex., Cat. Nic., Just. M. Apol. 93, Dial. 265, Athan. Euseb., Theodoret., Copt., Slav., Arm. 1. 2. 3. aliique, Arm. Ed. Sic et Cyr. Al., alibi ἐν πυρὸς φλογὶ, alibi ut Vatic. et sic Orig. III. 229, sed ut Vat. alibi. Omittit ἐν π. φ. 118. — ἐκ τοῦ βάτου cum asterisco in Codice 64, omittit τοῦ Just. Apol. 93 ἐκ τῆς βάτου et sic Cod. 32, 37, 72, 78, Athan., Euthym.

N 2 Cyr.

Cyr. Al. — ἐκ βάτου Just. Dial. 265, Euseb., Cyr. Al. — ἐκ τοῦ omitt. Orig. et Eus. — ἐκ μέσου τοῦ βάτου 58, Arm. 1. 2. 3, aliique, Arm. Ed. — ἐν βάτῳ Just. semel. Apol. 93.

16. Vide supra § 16. p. 69.

XXIII. 21. πρόσεχε σεαυτῷ. Just. Dial. parte 2da p. 300. αὐτῷ. Schleusn. Op. p. 103. „Justin. rectius habet. Lectio σεαυτῷ orta est ex alterâ σὺ αὐτῷ quae in edit. Bosiana legitur. Fortasse scripserunt πρόσεχε σεαυτῷ ἀπ' αὐτοῦ cet." — Holmes. haec habet: "αυτω primo, sed ex corr. 2dae manus σεαυτω 75. αὐτῷ Just. M., Philo I. 463, Tert., Cypr., et sic Euseb. II. 242, sed alibi ut Vatic. σὺ αὐτῷ Ald. Ex ἑαυτῷ, quod est Graecismi, αὐτῷ, et inde αὐτῷ factum." — Vide supra p. 96 Gen. XXXI. 10.

Levit. XXVI. 41. ἐν θυμῷ πλαγίῳ. Cod. IV ἐν omittit, θυμῷ obelo notat. θυμῷ πλαγιότητος αὐτῶν 19, 108, 118. πλαγίως 54, 75, et Just. Dial. p. 168.

Deut. X. 16. οὐ σκληρυνεῖτε. Addunt ἔτι IV, VII, X, XI, et Codices 33 minor. literis conscripti, Ed. Compl. Ald. Alex., Cat. Nic., Just. M. Dial. p. 168., Clem. Al., Theodoret, Versio Slav.: *ultra* praemittunt Arm. 1. aliique, Arm. Ed. — Addit item Text. Hebr., uno tantum Kennic. Codice 9 omittente.

XXXII. 8. למספר בני ישראל. — Kenn. 102 בני ישראל habet supra rasuram. Apud Montf. Aquila εἰς ψῆφον υἱῶν Ἰσραήλ. Symm., Theodot., τὸ Σαμαρειτ., κατὰ ἀριθμὸν υἱῶν Ἰσραήλ. Cf. Montf. nota. — Versio Gr. κατὰ ἀριθμὸν Ἀγγέλων Θεοῦ, et sic Patres in suis exemplis legerunt, licet υἱῶν Ἰσρ. praeferrent. Cf. omnino Strothius l. c. p 72 et 100. — Apud Holm. Codd. omnes eandem hodieque lectionem habent, nisi quod in Cod. VII et 106 alia manus addidit υἱῶν Ἰσρ.

20. ἐσχάτων ἡμερῶν. Just. p. 390 omittit. ἡμερῶν omittunt item 86 Codd., Ed. Compl. Ald. Alex., Psalteria 7 Latina, Breviar. Mozarab. Lat., Tertull., Slav. Mosq. — Codex 32 ἐπ' ἐσχάτου

τῶν

τῶν ἡμ. — Codex 54 ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμ. et sic Psalter. Gr. et Psalter. Lat. e regione textus Gr. apud Blanchin. — Codex 66 ἐπ' ἐσχάτου. — Hic vero reputandum est, ad carmen Mosis permultos etiam, qui illud subjunctum habent, Psalmorum Codices ab Holmesio collatos esse.

21. παρώξυναν. — Just. p. 390 παρώργισαν, et sic 84 Codd. (in his complures Psalmorum), Ed. Compl. Ald. Alex., Cat. Nic., Psalt. Gr. ap. Blanch., Constt. Ap., Orig., Chrys., Theodoret. — Notandum est, verbum כעס h. l. positum repeti in fine versûs, ibique redditum esse verbo παροργίζω. Apud Montf. praeponitur Ἄλλος. Cf. nota ejus.

Ex reliquis Patribus uno alteroque loco defungamur.

Gen. IX. 27. באהלי שם ἐν τοῖς οἴκοις τοῦ Σήμ. — Chrysost. pro οἴκ. habet σκηνώμασι. — Holmes. „ σκηνώπεσειν (sic) VI. σκηνώμασι 10 Codd., (imo 11 Codd. cf. Addenda), Ed. Ald., Chrysost. IV. 291, Cyr. Al., Diodor. in Cat. Nic., Theodoret. in Cat. Nic, Hieron., Philastr. Brix., Auctor Op. Imperf., Eucher. Lugd. — οἴκ. in textu, σκηνώμ. in marg. 56. — σκηνώμ. in textu, οἴκοις in marg. 25. — σκηνώμασιν οἴκοις 58. et sic, sed vox ultima deleta est, 55." — Montf. Ἄλλος· σκηνώμασιν.

XXIV. 31. εὐλογητὸς Κυρίου. — Chrysost. εὐλογητὸς Κύριος. Sic habent Codex I sive Cotton., III sive Alex., 26 minor. literis conscripti, Ed. Ald., Cat. Nic, Chrys. IV 487, Procop., Slav. Ostrog., Arm. 1, Arm. Ed. Conf. Schleusn. Op. p. 91, a quo citatus Scharfenbergius hanc veram τῶν ό lectionem esse existimat.

XXXII. 30. Theodoret. I. 100. 651. post ὄνομά μου habet καὶ τοῦτό ἐστι θαυμαστόν. Eadem, aut fere eadem habent 8 Codd, et Cod. 55 in marg. primâ manu, Ed. Ald., Cyr. Al., Slav. Ostrog, Georg. — Holm. notat, ex Judic. XIII, 18 hoc additum esse. — Ed. autem Aldina cum Cod. 31 et 83 habet ὅ ἐστι θαυμαστόν. — Montfauc. haec habet: Σχολ. τὸ, καὶ τοῦτό ἐστι θαυμαστὸν, παρ' οὐδενὶ κεῖται ἐν τῷ Ἑξαπλῷ.

Levit XIII. 45. וטמא טמא יקרא. Gr. Versio *καὶ ἀκάθαρτος κεκλήσεται.* Augustinus (in tertio locutionum libro), citatus Schleusnero Opusc. p. 106. „ de leproso, inquit, quum loqueretur Dominus, ait: *et immundus immundus vocabitur*, quasi non satis esset semel dicere *immundus vocabitur*. Quamquam nonnulli Codd. ita habeant, in alio Graeco ita invenimus semel dictum *immundus vocabitur*." Holmes. haec notat: "*ἀκάθ.* bis scriptum VII, X, 18, 59, Ed. Lips. Sic et Aug., sed notat nonnullos Codd. haud ita ingeminasse. *ἀκάθ. ἔσται καὶ ἀκάθ.* Codex 53."

Satis apparet, Justini lectiones tum aliis passim Codd. confirmari, tum vero saepius convenire cum Cottoniano, Alexandr., Coisliniano.

§. 22. *De usu ejus in Versionibus ex Graeca factis.*

Capite I passim significavimus, tum (p. 21, 22) quot ex Graeca Versione factae aliae secundariae innotuerint, tum (p. 26, 27, 34, 40, 41) quaenam typis editae sint. Editarum quidem plerarumque varias lectiones exhibet Holmesius, et in Praefatione docuit, quibus quomodo usus sit. Hinc igitur ipsius fere verbis nonnulla summatim enotabimus, unde intelligitur, hac in parte, praesertim in Syriacis, Arabicis, Copticis, aliis Versionibus ineditis multa adhuc agenda superesse.

Versiones, quas conferendas curavit, sunt illae: Latina Vetus, Coptica et Sahidica, *Syra*, Arabica, Slavonica, Armeniaca, Georgiana. Ne illae quidem in toto V. T. conferri potuerunt. Et aliae adhuc prorsus desiderantur. Vid. supra Cap. I.

Sunt igitur in Pentateucho

Latina vetus. Hujus reliquiarum variantes Holmesius ex Sabaterii Opere excerpsit, nominatis Patribus, apud quos servantur. Vide supra pag. 22, 26, 34.

Coptica et Sahidica: haec superioris AEgypti, illa inferioris,

(vide

(vide supra p. 21, 34, 40). Utramque citavit ex collationibus cum Graeco Textu a Woidio factis, quamquam hic in Sahidica perpaucas tantum lectiones contulit: — et ex Euchologio Coptico Arabico Alexandrino Romae edito 1761, 1762 quod Gen. XXVIII 10 ad fin Cap. et alia quaedam habet. — Utraque, Copt. et Sahid., Holmesio videtur referre Textum Tetraplarem. Cf. infra § 24.

Syra Versio ex Graeco. (vid. supra p. 22, 27, 40, 41). Hujus, inquit, contulimus fragmenta ad Genesin, quae servavit Bar-Hebraeus in Horreo Mysteriorum. — Haec Versio est Syriaca-Hexaplaris. Pentateuchi aliqua fragmenta exprimit Arabice Horreum Bar-Hebraei ineditum in Cod. quodam Bodleiano. Haec ergo, (sic pergit H.), fragmenta contulimus. Huc etiam pertinet, e Syriaco conversos esse Pentateuchos duos Arabicos, qui hic in collationem devocati sunt.

Arabica (vide p. 22, 25, 26, 27, 32, 34, 41). Hujus variantes afferuntur ad Genesin e Cod. 4: — de quibus fuse loquentem inducit Schnurrerum. — Ex iis duo priores sunt Hexaplares, et signis Origenianis instructi. Codicem Holmesii 2, Bodleianum 147, Schnurrerus judicat exemplum esse ex Codice Holmesii 1, Bodleiano 146, exscriptum. Jo. Uri erravit in eo, quod horum Codd. versionem ex Graeco ductam esse affirmat. Est enim ex Syriaca Hexaplari. Nunc autem nova post Waltonum, Grabium, Whitium, Paulum, utriusque collatio instituta est, quae omnia complecteretur, in quibus a Graecis Arabica discederent. Vide supra p. 25, 26, 32, 41. — Codex 3 est e Codd. Bibl. Bodl., in qua Laud. A 182 signatur. Jo. Uri ejus aetatem retulit. — Specimina quaedam edidit Paulus Ao. 1789, quorum loca nonnulla emendantur. Numerorum Caput XXIV hic totum editur. — Codex 4, Bodleianus. Versio ab initio usque ad Gen. V facta est ex Alexandrina. Sed, quae sequuntur, Syriacam ex Hebraeo referunt, qualis est in Bibl. Polyglottis. Ad Deut. XXXII. 43 iterum cernitur particula versio-

nis

nis ductae ex Alex.: sed ibidem, comm. 44 incipit denuo Arab. versio sequi Syriacam illam ex Hebraeo. — Sunt quoque duo Codd. Parisini, de quibus retulit A. J. Silvestre de Sacy V. Cl., qui alibi Harethi versionem habent, alibi non item. — Cf. infra § 36, 37 H, 42 D.

Slavonica. (vide sup a p. 22, 27). De Slav., Armen., Georg. versione Holmesius quae refert, ea referre se profitetur ipsis paene verbis Alteri, Professoris Vindobonensis, cujus nomen et aliis in literis, et in Critica N. T. inclaruit. — Slavonicae variantes afferuntur ex Edd. duabus cum Gr. collatis, ex Ostrogiensi Anni 1581, et ex Mosquensi A. 1762. — De hac versione Alterus prorsus alia refert, quam Eichhorn. V. Cl. Introd. Vol I § 318, qui eam a Cyrillo Thessalonicensi Saec. IX ex Graeca factam esse putabat. — Altero, Viro Cl., referenda videbatur ad illa tempora, quibus Slavi post immigrationem ex Asia in Illyricum aliquot Saeculis ante Cyrillum a Latinis religione Christiana imbuti fuerunt. Itala Vetus fuisse pro archetypo videtur. Credibile est, primigeniam versionem intactam usque ad XIV Saec. conservatam esse. Hoc Saec. et seqq. novatores eam ad Codd. Gr. refinxerunt. Non exstant forte plures quam unus Codex integer Bibliorum Slavonicorum. Psalterii, et Praxapostolorum Codices sunt plures. Codicem illum expressit Editio Ostrogiensis. Tempore Petri Magni correcta est illa Editio cum aliunde, tum ex Grabii Edit. Cod. Alexandrini.

Armeniaca. (vide supra p. 22, 27). Variantes afferuntur ex Ed. Veneta 1733; et ex uno Codice Arm., olim ad usus Ecclesiasticos destinato; item ex Codd. Armen. 14 a Sergio Malea, Sacerdote Armeno, Hierosolymae collatis cum Ed. Veneta Bibliorum Armeniacorum. Porro quum Jacobus Nisibenus in Sermonibus Armeno-Latinis editis Romae An. 1756 citet nonnunquam Textum Sacrum Armeniacum, ex citationibus ejus variantes aliquae excerptae sunt. — Lectores rejiciuntur ad Bredenkampii relationem in Biblioth. Eichhorniana IV. 641, et ad Alteri Miscellanea. —

Negat

Digitized by Google

Negat autem Alterus, Haitonem Versionem Armenam ad Vulgatam Romanam refinxisse, aut Hieronymi Praefationes convertisse. Sed Haito isti exemplari, quod ex alio anni 1295 describendum curaverat, Praefationem metricam sua manu adscripsit. — Tum plura omnino lectu digna de Codd. et Edd. Armenis referuntur, unde illud dubio caret, Editionem Uskani ad Vulgatam refictam esse. — Codex Casanatensis Romae (de quo Eichh. Introd. IV. 50 Ed. Belg.) collatus est cum toto paene Exodi libro.

Georgiana. (Vide supra p. 22, 34). Hujus Editio a Wakuset Principe Georgiano curata perpetuo collata est cum Textu Graeco. Ad Slavonicam conformata est Editio. Quod autem ad Textum Georgianum attinet, videtur passim praecipue convenire cum Romano.

CAP. II

PARS TERTIA.

De usu operis Holmesiani ad discernendas antiquas Versionis Graecae Recensiones.

§ 23. *Opiniones virorum doctorum de origine Codicum eorum, qui hodieque supersunt, Versionis Graecae MSS.*

Cum de Versionis Graecae Codicibus iis, qui exstabant, ne rem altius repetam, ineunte Saec. post Chr. III, illud tantum universe constet, eos inter se plurimum variasse, tum eodem Saeculo celebratis Criticae Sacrae studiis nova Codicum quasi progenies exoriri coepit. De quo operae pretium est ipsius Hieronymi hic

denuo nonnulla certe adscribere verba, quamvis ab aliis jam saepius integriusque repetita. Is igitur in Epist. CXXXV ad Suniam et Fretelam monet: „ aliam esse Editionem, quam Origenes et Eusebius κοινὴν appellant, et a plerisque nunc Λουκιανὸς dicitur, aliam LXX Interpretum, quae et in ἑξαπλοῖς Codicibus reperitur. — Κοινὴ autem ista, hoc est *Communis* Editio ipsa est, quae et Septuaginta. — Sed hoc interest inter utramque, quod κοινῆς pro locis et temporibus, et pro voluntate scriptorum veterum, corrupta editio est; ea autem, quae habetur in ἑξαπλοῖς, et quam nos vertimus, ipsa est, quae in eruditorum libris incorrupta reservatur." Et in Praef. ad Paralip., „ Alexandria et Ægyptus in LXX suis Hesychium laudat auctorem; Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exempla probat; mediae inter has provinciae Palaestinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt."

Hinc factum est, ut viri docti adhuc quidem in eo fere consenserint, Codicum MSS. hodieque idem quadruplex genus superesse, ac plura etiam nova genera e superioribus enata (cf. Hodius p. 634); quod etiamsi vere, tamen nimis vage dictum est. Cf. Scharfenb. in nota ad Fabric. B. G. Vol. III p. 715. Nam neque Codices ita multos ante Holmesium viri docti contulerunt; neque in eorum, qui collati essent, si perpaucos excipias, rationem mutuam magnopere inquisiverunt; neque illa Luciani Hesychiique, imo ne Origenis quidem, opera qualis fuerit, juste plene que explicuerunt; multa certe posteris explicanda ob suorum temporum rationes relinquere debuerunt. Quae quidem fundamenti loco posita quum Holmesius partim sollicitare tentaverit, age illa quomodo posuerint, paulo distinctius referamus.

Ipsi Codices, quorum lectiones adhuc innotuerant, et perpauci erant, et negligentius editi aut collati. Complutensis, Aldina, Romana Editio praeter Vaticanum, e quibus Codicibus ducta es-

set,

set, Editores, ut fere solebant doctissimi quoque illa aetate homines, non satis accurate declaraverant (Cf. supra p. 24). Mox viri docti fuerunt, qui dicerent, Editionem Complutensem valde ad Hebraicas lectiones conformatam esse, idque subinde, ac saepius adeo, Graeco teste nullo. Cf. Fabric. B. G. Vol. II p. 325. (edit. novae Vol. III p. 673). Michaëlis (Or. B. IX. 162) illud hac in re bonum inesse censet, quod sic Editio illa magis certe a Latinae Vulgatae lectionibus integra evasit. Alii tamen potius existimarunt, hanc Editionem pauca, earum habere non e Codicibus ducta. Sane ipsi Editores copia emendatiorum Codicum gloriati sunt. Sed recentiorum judicia diversa breviter enarrarunt Scharfenbergius et Pfeifferus (l. c. p. 674 sq.), atque Eichstaedius (ad Mori Acroas. Vol. II p. 166). Aldinam Masius putabat „esse illam quidem simplicis [κοινῆς] interpretationis LXX Seniorum exemplum, sed haud purum." Et alii dixerunt, admixtas esse Novi Test. et ceterarum Versionum lectiones. Cf. Scharfenb. et Pfeiff. (l. c. p. 675 sq.), et Eichst. (l. c. p. 167 sq.) Ad Lamb. Bosium usque, ac Breitingerum, Codices, quorum nominatim scriptura innotuerat, ad summam erant, in Pentateucho quidem, cujus nunc nobis potissimum ratio habenda est, quinque, Vaticanus (cf. supra p. 24), Alexandrinus (p. 25, 31, 33), Cottonianus (p. 25, 32, 39), Sarravianus (p. 25, 32), Oxoniensis (p. 25, 32). Accedebat aliarum Versionum quarundam, nec tamen omnium, et aliquot Patrum, vix leviter affecta collatio (p. 27). Sero demum Codicis Lipsiensis per Fischerum (p. 34), Coisliniani per Montfauconum et Griesbachium (p. 33, 38), notitia accessit. Nec plura in reliquo Veteri Test. peracta erant. Itaque omnino pauci erant Codices, de quorum indole adhuc judicari poterat. — Et de his ipsis, uti verum fatear, tenuiter exposuerunt, universe dicentes, Codicem esse bonum, antiquum, Hexaplarem, aut secus; ac substiterunt fere in auctoritate dijudicanda Editionis Compl. et Aldinae, et in com-

comparatione Vaticani et Alexandrini, de quorum antiquitate, bonitate, et ad Hexaplarem Recensionem habitu aliquanto plura disputavit. Utriusque tamen inter se comparationem his verbis absolvit L. Bosius Prolegom. Cap. II. „ Alexandrinum inter et Vaticanum Codicem magnus reperitur consensus, licet aliquando differant, praecipue in libris Josuae, Judicum, III Regum, et Jobi." At quanti viri quam vagum judicium! Aliorum judicio offecit superstitio Judaica, ut, quo Codex quisque magis Masorethārum lectiones exprimeret, eo quemque meliorem putarent. Quae tamen omnia minime ideo notamus, ut de tantorum virorum, qui facem posteris praetulerunt, opera et laude detrahamus; verum ut intelligatur, eos neque opportunitatem, neque consilium habuisse describendi Codicum talem quasi genealogiam, qualem postea in N. T., praeeunte Bengelio ac Semlero, Griesbachius describere coepit.

Verum de triplici illâ Veterum Criticorum Recensione multa hodieque ignota, incerta, ac dubia sunt, inprimis quod attinet ad Luciani et Hesychii operam, tum ad Crisin ab Origene in Tetraplis usurpatam.

E paucissimis Scriptorum Ecclesiasticorum testimoniis Hodius p. 302 sq, 627 sqq, concludit, et Lucianum, et Hesychium Recensionem suam, pariter atque Origenes fecit, adhibitis ceteris Versionibus Graecis, et Textu Hebraeo, adornasse. Post Morinum tamen Ernesto, (in Opusc. *de Origene auctore* § XV, de quo loco § 25 iterum dicam), visi sunt Graecos modo libros in consilium adhibuisse. Quod autem Recensio Communis, sive ἡ Κοινὴ, item Λουκιανὸς vel Λουκιανὴς dicta est, teste Hieron. l. c., id factum Hodius putat, quod Luciani Editio adeo jam in usum recepta esset; Carpzovius (Crit. S. p. 532), et Eichhorn. (Introd. § 175), quod τὴν Κοινὴν Lucianus fundamenti loco posuisset. P. D. Huetio statuenti (Origenian. Lib. III Sect. 4. § 10.), Lucianum et Hesychium

um item obelos et asteriscos ad imitationem Origenis apposuisse, assensum negat Hodius p. 628, dubitans adeo, utrum Lucianus et Hesychius Origenis opus unquam viderint.

[1] Origenis Tetrapla et Hexapla in eo satis constat diversa fuisse, quod Tetrapla habuerunt in 4 columnis singulas Graecas versiones; Hexapla praeterea duas Hebraicas columnas, alteram Hebraicis literis, alteram Graecis. Eichhornius Introduct. Vol. I p. 277 putat, unum idemque diversis nominibus opus fuisse, idque confirmat Vol. IV p. 30, 32, (Ed. Germ. 3 Vol. I p. 358 sq., 365): probante Eichstaedo ad Mori Aeroases Vol. II p. 137, qui repudiat sententiam G. L. Baueri, in Introd. § CIX, CX, statuentis, Tetrapla diversum opus fuisse, ante Hexapla editum. Et dudum antea, quum Henr. Valesius (Annott. ad Eusebii Hist. VI. 16 Scriptt. Eccles. Vol. I p. 106.) dixisset, Tetrapla post Hexapla edita esse, hunc confutans Hodius, p. 603, „Mihi, inquit, magis placet Usserii opinio, Origenem primo Tetrapla, deinde Hexapla concinnasse." Idem e nota Codicis Marshaliani concludit, Origenem Tetrapla in margine manu sua emendasse, Scholiisque illustrasse. Similia fere adsumit Montfauc. in Praelimin. ad Hex. p. 10, Origenem in Tetraplis Editionem τῶν ό non emendasse, vitiosa et praepostera ibi intacta reliquisse, sed iis postea manum medicam admovisse, quum Hexapla adornaret. De Tetraplis et Hexaplis diversos scriptores enumerat Fabric. B. G. Vol. II. p. 344 sq. Sed, ut Scharfenb. monet in nova Edit. Vol. III p. 711, omnino praecipui sunt Hodius et Montfauconus.

§ 24. *Holmesii opiniones de Editionibus Origenis, Luciani, et Hesychii.*

Ad Holmesii pergimus de Luciano et Hesychio sententiam, ad

 quam

quam intelligendam primo enarranda est conjectura, quam de Origenianis Tetraplis et Hexaplis proposuit.

Primo adsumit, Tetrapla et Hexapla fuisse duo consilio et tempore diversa opera. In eamque sententiam (Praefat. Cap. I Sect. III) interpretatur locum Commentarii Origeniani ad Matth. T. XV, qui sic se habet (Opp. T. III, p. 671. Ed. de la Rue): *τὴν μὲν οὖν ἐν τοῖς ἀντιγράφοις τῆς Παλαιᾶς διαθήκης διαφωνίαν, Θεοῦ διδόντος, εὕρομεν ἰάσασθαι, κριτηρίῳ χρησάμενοι ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσιν· τῶν γὰρ ἀμφιβαλλομένων παρὰ τοῖς Ἑβδομήκοντα διὰ τὴν τῶν ἀντιγράφων διαφωνίαν τὴν κρίσιν ποιησάμενοι ἀπὸ τῶν λοιπῶν ἐκδόσεων, τὸ συνᾷδον ἐκείναις ἐφυλάξαμεν· καί τινα μὲν ὠβελίσαμεν ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ μὴ κείμενα, οὐ τολμήσαντες αὐτὰ πάντη περιελεῖν· τινὰ δὲ μετ' ἀστερίσκων προσεθήκαμεν, ἵνα δῆλον ᾖ, ὅτι μὴ κείμενα παρὰ τοῖς Ἑβδομήκοντα ἐκ τῶν λοιπῶν ἐκδόσεων συμφώνως τῷ Ἑβραϊκῷ προσεθήκαμεν.* Hoc loco Origenem de duobus operibus suis loqui putat Holmesius, primo, inde ab initio usque ad *ἐφυλάξαμεν*, de Tetraplis: tum in illis *καί τινα μὲν* et ceteris, quae sequuntur, de Hexaplis. „ Haec autem, inquit, refero partim ad Tetrapla, ex delectu Septuaginta viralium lectionum juxta Reliquas Versiones Graecas, ac sine obelis et asteriscis efformata; partim vero ad Hexapla, secundum normam Hebraicam, et cum obelis et asteriscis, composita ac suppleta. Neutrum opus designat Origenes nominatim; sed videtur utrumque in eodem ordine, quo confecerat, luculenter commonstrare." Est haec sane ad hypothesin Holmesii accommodata interpretatio. At non diffiteor, Origenem, si hoc voluisset, diversitatem editionum istam videri paulo distinctius, nominata priori et posteriori editione, notaturum fuisse; siquidem nil video, quod prohibeat, quominus Origenes sic intelligatur, ut de uno eodemque opere suo dicat, se in locis iis, qui omnino servandi essent, sed aliter in aliis τῶν ό Codicibus legerentur, eos τῶν ό Codices secutum esse, qui lectionem haberent cum cete-

ceterarum Versionum aliquâ maxime convenientem; alia vero loca, quae in Hebraico deessent, ob elo notasse; in Hebraico autem lecta quaecunque in τῶν ό Codicibus deessent, ea verbis ex ceterarum Versionum aliquâ sumtis supplevisse, iisque stellulam praeposuisse. Sed Holmesii de duplici opere sententiam, quae vera esse potest, (*) etiamsi interpretatio loci Origeniani sit falsa, porro referamus.

Eâ, quam dixi, interpretatione fretus assumit Sectione IV, Origenem in Tetraplis loca τῶν ό deficientia, aut supervacanea non attigisse; tantummodo loca dubiae lectionis e nonnullis τῶν ό Codicibus ad consensum cum ceteris Versionibus revocasse; itaque fecisse nondum Hebraice doctum (*a*). Porro assumit, hunc Textum Tetraplarem in lucem ab ipso Origene editum esse, et nonnullos istorum temporum Codices illico occupasse. Tum „, In his igitur, inquit, Codicibus erat Editio τῆς Κοινῆς jam emendatae; nam in eâ lectiones τῶν ό propriae, in Codd. eorum diversis ante dissipatae, in unum Textum, magis, quam in Codd. τῆς Κοινῆς aliis, cum Reliquis Versionibus congruentem, erant coagmentatae." Denique suspicatur, hanc Tetraplarem Editionem e Codd. τῆς Κοινῆς ductam, ut ab Hexaplari distingueretur, item subinde τὴν Κοινὴν appellatam esse. In Hexaplis Origenes Holmesio id egisse videtur, quod a Tetraplorum Editore exspectaveris, et nota Codicis Marshaliani supra (p. 24 nota *o*, 109) citati ex Holmesii sententia confirmat, ut Textum Tetraplarem fundamenti loco positum ad Hebraicum conformaret, eâ ratione ac viâ, quam ex Veterum Scriptorum locis viri docti saepius declararunt.

In universa autem ratione Origenis Holmesius illud reprehendit (inprimis Sect. II, VI, VII), quod Versionem Alexandrinam pa-

rum

(*) Neque obstant Euseb. aliique citt. ab Hodio et Montf.

(*a*) Non tamen adeo aetate provectum Hebraica didicisse, fuit sententia Ernesti Opusc. *de Origene* § 8 in nota, praeeunte Fabricio locis ibi citt.

Digitized by Google

rum ex ipsius Codicibus, contra unice fere ex ceteris Versionibus, maxime e suo Textu Hebraico emendare studuit: quum potius ipsius Versionis Alexandrinae Codices inter se conferre atque ex his ejus scripturam restituere; Hebraica si conferre voluisset, in horum scripturam antiquissimam, certe Versioni Alexandrinae aequalem, inquirere debuisset. Similia quaedam et antea Jo. Morinus, Is. Vossius, aliique reprehenderunt, et aliunde mihi videor intellexisse, (nam ipsa hujus viri scripta, uno excepto, non vidi) ab Henr. Oweno paulo ante Holmesium disputata esse in libris Anglico sermone editis. — Verum sic aliquanto plus, quam par est, ab eâ, quâ vixit Origenes, aetate postulatur; atque is, opinor, ne cogitavit quidem de tali consilio, nostris omnino temporibus accommodato. Holmesio (Sect. VI) videtur Origenes obelo suo verba in suis Codd. Hebraeis desiderata etiam illi, quo ipsi Interpretes usi erant, Textûi Hebraico abjudicasse: imo nobis videtur tantum illud significare voluisse, ea a Codd. Hebraeis, quos ipse viderat, abesse. Similiter (Sect. VII) per asteriscos Origenes Holmesio videtur indicasse, verba suâ aetate addita in Textu Hebraico Interpretum item exstitisse, neque amplius in ullis Versionis hujus Codicibus suâ aetate reperiri potuisse: imo et hic nobis videtur Origenes illud unum significasse, quod in Codd. sive Hebraeis sive Graecis, quos ipse tractaverat, reperisset. Et vero illum Codices Versionis Alexandrinae complures contulisse, tum res ipsa loquitur, tum aliunde (*b*) constat, ipseque Holmesius fatetur (*c*). De Hebraicorum tamen exemplarium corruptione concedi

po-

(*b*) Unum nunc sufficit memorare Commentarii in Joann. locum T. VI. Διὸ καὶ γέγραπται, ὅτι δίκαιος κύριος καὶ δικαιοσύνας ἠγάπησεν (Ps. X. 8). οὕτω γὰρ ἐν τοῖς ἀκριβέσιν ἀντιγράφοις εὕρομεν, καὶ ταῖς λοιπαῖς παρὰ τοὺς ὁ ἐκδόσεσι, καὶ τῷ Ἑβραϊκῷ. Opp. T. IV. p. 108. Cf. Hodius p. 612 sq.

(*c*) Et alibi, et loco Sectionis IV de Edit. Tetraplari.

Digitized by Google

potest, eum multo minus suspicatum esse. Neque adeo illud egit, ut talem Versionis Editionem efficeret, quae primam scripturam referret, etiam sicubi forte ab ipsis Interpp. peccatum esset, cui quidem suspicioni pervulgata θεοπνευστίας opinio obstabat: sed ut talem, qualis ab ipsis auctoribus proficisci debuisset, id est, quae Hebraicae scripturae exacte responderet. Vere scripsit Eichstaedius Vol. II p. 104: „ tam longe ille afuit ab hac severitate, qua hodie cavemus, ne quid aliud quam ab ipsis auctoribus scriptum inducatur, ut omnis ejus sive ars sive cura proficisceretur potius a Theologico quam Critico studio, vel, ut ita dicam, a Biblica magis quam Diplomatica fide penderet." Itaque ille omnino convenienter egit aetati suae, quae si caruit illâ nostrâ dudum excultâ ac prope perfectâ Criticâ Sacrâ, vitium temporibus, non homini, imputandum est. Idemque Editioni suae tantam cum prudentiam tum diligentiam adhibuit, ut sane dignus fuerit, qui ab Ernesto in exemplum primarii suo in genere Critici proponeretur. (Cf. inprimis Opusculum de Origene § XII—XXI).

De Luciano Martyre quae Holmesius disputat Sect. VIII et IX, eorum summa huc redit. Quum Origenes Tetrapla edidisset ad usus Christianorum privatos, suam Lucianus Editionem destinavit lectioni in concionibus publicae. Luciani Editio item nomen accepit τῆς Κοινῆς, ut ab Hexaplari distingueretur. Fundamentum Editionis suae posuit columnam versionis Alexandrinae Tetraplarem. Hanc autem ad Hebraica conformavit, iis, quae deerant, ex Theodotione suppletis; quae supererant, plane ejectis. Hexapla nunquam vidit, quippe diu post obitum Origenis edita; et si vidisset, supervacaneam operam haud suscepisset. Idem tamen, in tantâ Origenis hujusque laborum celebritate famae, ut saepe multumque de institutis Hexaplis fando audiverit, necesse est.

De Hesychianâ in AEgypto Editione quum paucissima Veteres Scriptores tradiderint, Holmesio (Sect. X) in mentem venit, hujus

rum ex ipsius Codicibus, contra unice fere ex ceteris Versionibus, maxime e suo Textu Hebraico emendare studuit: quum potius ipsius Versionis Alexandrinae Codices inter se conferre atque ex his ejus scripturam restituere; Hebraica si conferre voluisset, in horum scripturam antiquissimam, certe Versioni Alexandrinae aequalem, inquirere debuisset. Similia quaedam et antea Jo. Morinus, Is. Vossius, aliique reprehenderunt, et aliunde mihi videor intellexisse, (nam ipsa hujus viri scripta, uno excepto, nón vidi) ab Henr. Oweno paulo ante Holmesium disputata esse in libris Anglico sermone editis. — Verum sic aliquanto plus, quam par est, ab eâ, quâ vixit Origenes, aetate postulatur; atque is, opinor, ne cogitavit quidem de tali consilio, nostris omnino temporibus accommodato. Holmesio (Sect. VI) videtur Origenes obelo suo verba in suis Codd. Hebraeis desiderata etiam illi, quo ipsi Interpretes usi erant, Textui Hebraico abjudicasse: imò nobis videtur tantum illud significare voluisse, ea a Codd. Hebraeis, quos ipse viderat, abesse. Similiter (Sect. VII) per asteriscos Origenes Holmesio videtur indicasse, verba suâ aetate addita in Textu Hebraico Interpretum item exstitisse, neque amplius in ullis Versionis hujus Codicibus suâ aetate reperiri potuisse: imo et hic nobis videtur Origenes illud unum significasse, quod in Codd. sive Hebraeis sive Graecis, quos ipse tractaverat, reperisset. Et vero illum Codices Versionis Alexandrinae complures contulisse, tum res ipsa loquitur, tum aliunde (*b*) constat, ipseque Holmesius fatetur (*c*). De Hebraicorum tamen exemplarium corruptione concedi po-

(*b*) Unum nunc sufficit memorare Commentarii in Joann. locum T. VI. Διὸ καὶ γέγραπται, ὅτι δίκαιος κύριος καὶ δικαιοσύνας ἠγάπησεν (Ps. X. 8). οὕτω γὰρ ἐν ταῖς ἀκριβέσιν ἀντιγράφοις εὕρομεν, καὶ ταῖς λοιπαῖς παρὰ τοὺς ἐκδόσεσι, καὶ τῷ Ἑβραϊκῷ. Opp. T. IV. p. 108. Cf. Hodius p. 612 sq.

(*c*) Et alibi, et loco Sectionis IV de Edit. Tetraplari.

Digitized by Google

potest, eum multo minus suspicatum esse. Neque adeo illud egit, ut talem Versionis Editionem efficeret, quae primam scripturam referret, etiam sicubi forte ab ipsis Interpp. peccatum esset, cui quidem suspicioni pervulgata θεοπνευστίας opinio obstabat: sed ut talem, qualis ab ipsis auctoribus proficisci debuisset, id est, quae Hebraicae scripturae exacte responderet. Vere scripsit Eichstaedius Vol. II p. 104: „ tam longe ille afuit ab hac severitate, qua hodie cavemus, ne quid aliud quam ab ipsis auctoribus scriptum inducatur, ut omnis ejus sive ars sive cura proficisceretur potius a Theologico quam Critico studio, vel, ut ita dicam, a Biblica magis quam Diplomatica fide penderet." Itaque ille omnino convenienter egit aetati suae, quae si caruit illâ nostrâ dudum excultâ ac prope perfectâ Criticâ Sacrâ, vitium temporibus, non homini, imputandum est. Idemque Editioni suae tantam cum prudentiam tum diligentiam adhibuit, ut sane dignus fuerit, qui ab Ernesto in exemplum primarii suo in genere Critici proponeretur. (Cf. inprimis Opusculum de Origene § XII — XXI).

De Luciano Martyre quae Holmesius disputat Sect. VIII et IX, eorum summa huc redit. Quum Origenes Tetrapla edidisset ad usus Christianorum privatos, suam Lucianus Editionem destinavit lectioni in concionibus publicae. Luciani Editio item nomen accepit τῆς Κοινῆς, ut ab Hexaplari distingueretur. Fundamentum Editionis suae posuit columnam versionis Alexandrinae Tetraplarem. Hanc autem ad Hebraica conformavit, iis, quae deerant, ex Theodotione suppletis; quae supererant, plane ejectis. Hexapla nunquam vidit, quippe diu post obitum Origenis edita; et si vidisset, supervacaneam operam haud suscepisset. Idem tamen, in tantâ Origenis hujusque laborum celebritate famae, ut saepe multumque de institutis Hexaplis fando audiverit, necesse est.

De Hesychianâ in AEgypto Editione quum paucissima Veteres Scriptores tradiderint, Holmesio (Sect. X) in mentem venit, hujus

caussam et rationem fere similem fuisse Lucianeae, ita ut textus ad Hebraicum conformaretur, et loca desiderata e Theodotione supplerentur. Tetraplarem textum fundamenti instar fuisse, eo magis credibile putat, quod ambae versiones AEgyptiacae hunc textum referre videantur. „In utraque, inquit, sane exstant haud pauca, quae in Codd. τῆς Κοινῆς plerisque deerant: et contra omittuntur multa, quae in textu Hexaplari, in consensum cum Hebraicis accuratissimum per supplementa deducto, exstiterunt. Propterea de utraque Coptorum versione conjici potest, quod effigiem prae se ferat textus τῶν ό Tetraplaris, magis quidem quam alter ille τῆς Κοινῆς, licet non tam perfecte quam Hexaplaris, ad Hebraicum conformati."

§ 25. *Holmesii opiniones de diversis suorum Codicum familiis.*

His opinionibus praesumtis, suisque lectionibus variis collatis, Holmesius quinque summa genera in diversis Pentateuchi Codicibus hodieque exstare, certe nullum penitus sublatum esse, arbitratur; nempe Editionem veterem illam τὴν Κοινὴν, Tetraplarem, Hexaplarem, Lucianéam, Hesychianam; diversis cuique generi subjectis formis. Sed denuo amplioris disputationis numeros summatim indicabimus.

A. — Ἡ Κοινὴ, Simplex, sive nondum ab Origene emendata, superest, quod item Masius putabat, in Editione Aldina et Vaticana. Multi alii Codices habent in Pentateucho textum Aldinum, aut Vaticanum, vel ad alterutrum accedunt. Etenim ad ipsius generis notam attendendum est, et quisque Codex universe spectandus, nec haerendum in multis alieni generis lectionibus passim per librarios admixtis. Quales inde videbuntur, inquit, Codices mei 29, 31, 59, 64, 83, alii? — Ἡ Κοινὴ tres notas habet. Solen-

fenniter servat ista, quae obelis notavit Origenes, ideoque e quibusdam codicibus ejecta fuerunt. Pauca habet ex iis, quibus Origenes asteriscum praeposuit. Subinde dictiones et vocabula habet vetustatis paulo remotioris, aut praefractioris Hellenismi.

B. In Editionis Tetraplaris caussâ Holmesius attendi vult Codicem I, III, 15, 44, 75, 106, et alios, nisi in omnibus, at certe in nonnullis, libris Pentateuchi. — Tribus notis distinguitur. Habet multa, quae in Aldino, aut Vaticano, aut simili non exstant, sed exstant, quamquam sine asterisco, in Codice vere Hexaplari. Ea, quibus asterisci in Hexaplis praemittebantur, (nisi postea a librariis inducta, aut a Theodotione e τοῖς 6 desumta sint), semper omittit. Hoc habet cum τῇ Κοινῇ commune, quod ea, quae in Hexaplis obelos habebant, omnia, (nisi postea librarii ejecerint), fideliter conservat.

C. Textum τῶν 6 Hexaplarem in multis partibus Pentateuchi servat Codex IV et V. At hujus germanos Codices non facile internosci existimat. Erit mihi, inquit, Codex vere Hexaplaris, cui solenne est lectiones omnes, tam quae obelos, quam quae asteriscos habebant, eadem fide exhibere. Nec obstabit, si forte ipsi obeli et asterisci defecerint.

D. De Luciano et Hesychio haec brevis annotatio exstat J. A. Ernesti (in Opusc. *de Origene interpretat.* cet. §. XV): „In hoc tamen ratio eorum discrepabat ab Origeniana, quod Graecos modo libros in consilium adhibuerant, cum Origenes et Graecos et Hebraicos in auxilium operis adſcivisset, unde facta est Origeniana recensio consentiens magis Hebraicae scripturae, quam Lucianea aut Hesychiana, eoque signo licet eorum, quae nunc vel scripta vel edita exstant, exemplorum origines utcunque agnoscere, ut bene docet Morinus in Epist. ad Junium Patricium, in qua de Alexandr. Codice agitur (in Antiq. Eccl. Or.).“ Sed aliud agens haec scripsit Ernestus, quibus plane contraria ponit Holmesius

 (Cf.

(Cf. quae modo enotavimus p. 113 sq.). Is autem utrumque putat in multis majori cum licentia, quam Origenem, egisse. Utriusque Codices Holmesio facile secernendi videntur a Codd. τῆς Κοινῆς, et a Tetraplaribus, non item facile ab Hexaplaribus; neque Lucianei ab Hesychianis inter se levi operâ dignoscendi, in eo fortasse potissimum ab Hexaplaribus utrique diversi, quod Hebraismos crebro molliverint. Utcunque sit, satis habet praemonere, textum Codicis 58 per omnes Pentateuchi libros, et Codicis 72 per tres priores adhuc prorsus incognitum fuisse videri; in his autem Codd. una cum 19, 108, 118, et forte in aliis per quosdam textus Mosaici libros conservari Lucianéae et Hesychianae Editionis exempla.

Ceterum Codex V, et Codd. 58 ac 72, Arabici 1, 2, Versio Armena, in postremis Exodi Capp. turbatae orationis, quam Origenes jam notavit, ordinem, alius alio magis, restitutum habent.

E. Eorum item, quae de singulis Codicibus tradit, praecipua nonnulla breviter enotabimus, et una alteraque notula augebimus.

Codex literis majoribus sive, quas vocant, Uncialibus I, e Bibliotheca Roberti Cottoni, Equitis Britanni, collatus Usserio, aliisque, innotuit per Polyglotta Waltoni, Disputt. Goettingenses M. Crusii A. 1744 sq., et collationem Grabii ab Henr. Oweno A. 1778 Londini editam. Vide supra p. 25, 32, 39, 102. Ipse Codex Ao. 1723 interiit incendio Bibliothecae Cottonianae, cujus Catalogum Ao. 1696 in fol. ediderat Thomas Smithus. Cf. ille Catal. p. XLIV et 70. Omissis iis, quae de externa forma Codicis narrantur, enotabimus ea, quae de indole Codicis disputat Holmesius. Solum habuit hic Codex librum Geneseos, ne hunc quidem integrum, desiderata loca Holmesio enumerante. Esse videtur Codex omnium antiquissimus, Saeculi V, aut IV exeuntis. Videtur esse e genere Tetraplari, et consentire praesertim cum Alexandrino. Conclusionem suam his rationibus conficit: In textu consentire videtur praesertim cum Alex. Ab Aldina saepe discrepat, licet non-

nonnunquam consentiat cum eadem sola. Cum Complutensi non solenniter consonat. Haud raro discedit ab Edit. Romana; et in locis non paucis ab omnibus Codd. aut Edit. Porro ea, quae Orig. sub aster. induxerat, plerumque non habet: itaque non est Hexaplaris. Contra habet pleraque, quae obelis notabantur: itaque non est Luciani aut Hesychii. In locis saltem 20, in quibus ab omnibus discedit, Hebraica exprimit accuratius aliis Codd. — Est igitur in Tetraplari genere praeclarus Codex. — Nonnulla lectu perdigna notarunt F. A. Stroth. in Repertorio Eichhorniano Vol. XI. 45—48, et Brunsius ibidem XIV. 30—39.

De II, et III, Vatic. et Alex., infra dicemus § 26, 27.

IV et V singuli constant diversis ejusdem Codicis fragmentis. IV est Sarravianus, nunc Academiae Lugduno-Batavae. Citatur Montf., et Grabius, qui hinc supplementa multa sub asterisco mutuatus est. Vide supra p. 25, 32. De externâ formâ scripturâque nonnulla adjicit Holmesius ab Amico suo, Codicis Collatore notata. — V fuit Colbertinus, nunc Biblioth. Regiae Parisiensis. Vide supra p. 32, 34. — Est hic Codex IV et V vere Hexaplaris. Multa Pentateuchi folia desunt. Montf. quinti circiter Saeculi esse putat. Cf. Stroth. in Repert. Eichh. Vol. V. 121—126.

VI. Caesareus, Bibl. Vindobonensis, constat foliis 26: in 24 prioribus sunt fragmenta Geneseos, in 2 reliquis fragmentum Lucae, N apud Wetstenium. Ad aetatem Constant. M. revocavit Lambecius, dissentiente Montfauc. Potius Saec. V exeunte, vel VI ineunte scriptus videtur. Cf. Stroth. l. c. XI. 48 et Eichhorn. Bibl. Univers. VII. 911.

VII. Ambrosianus, Mediolani. Montfauconum corrigit Branca docens, Codicem esse antiquissimum, sed postea renovatum. Desunt pleraque Geneseos, et alia.

(VIII et IX omisit. Videntur ergo Pentateuchum non habere.

 Idem

Idem obtinet in 12, 13, 21—24, 26, 27, 33—36, 39—43, 48—51, 60, 62, 63, 65—67, 69, 70, 80, 81, 86—104, 109—117, 119, 123, 124).

X. Coislinianus Bibliothecae Parisiensis ille, a Montfaucone celebratus (in Biblioth. Coisl. p. 1—32 et alibi), a Griesbachio partim collatus, (vide supra p. 33, 34, 38), Saeculi ut putabat Montf. Sexti, ut Wetsten. et Holm. Septimi. Totum Pentat. habet, nonnullis foliis desideratis. Montf. jam monuit, eum habere lectiones Alexandrinarum similes: et hoc, judice Holm., in Pentat. plerumque verum est: (supra p. 102: infra § 37 D). Textus est haud diversus a textu Cod. Paulino-Lipsiensis, quem Fischerus edidit. Cf. Stroth l. c. p. 113—115. Griesb. in Repert. Eichh. I. 86. „ In Genesi, inquit, Textus magis consentit cum Alex. Codice. Sicubi discedit, habet lectiones Codicis Vatic., vel Oxon., vel Edit. Aldinae. Saepius autem cum Cottoniano. Lectt. singulares sunt rariores, et levioris momenti. Utrumque probat fidem ac diligentiam scriptoris." — Decem circiter Geneseos Capitum collatio intercidit.

Quum Griesb. l. c. hujus Codicis lectiones singulares in quibusdam Geneseos Capitibus notaverit, nos nunc notabimus, quinam in horum locorum nonnullis ad hunc alii Codices Holmesiani accesserint.

Gen. II. 15. post φυλάσσειν solus, ut est in Hebr., addit αὐτόν. Apud Holmesium hoc addunt X, i. e. hic ipse Coisl., 32, 76, 134, 135, margo 127. Sed August. notat e Graeco ad verbum exprimi *operari eum et custodire*.

In hoc ipso Comm. pro ἔπλασε (quod Hebr. omittit), habet ἐποίησε una cum 55, 75, 127, 128, Philone fortasse [de quo cf. Hornem. Spec. I. p. 57; II. 105], Severian., Aug., Ambr., Copt., Arm. 1, 2, Arm. Ed.

III.

III. 2. τοῦ παραδείσου, ut est in Hebr. — Sed τοῦ ἐν τῷ παραδ. habet non solum X, sed praeterea 15, 18, 19, 32, 37, 56, 59, 61. 72, 74, 75, 76, 77, 79, 106, 108, 129, 135, Compl., Cat. Nic., Euseb., Chrys., Bas. Sel., Diodor. in Cat. Nic., Anastas. MS., Lucif. Calar., Slavon.; *est intus in parad.* hoc Arm. 1, 2, Arm. Ed. — Mox comm. 3, τοῦ ἐν τῷ παραδ. habent partim iidem, partim alii Codd. 38, 56, 59, 72, 74, 76, 79, 106, 127, 129, Bas. Sel., Aug., Lucif. Calarit.

3. ἀπὸ καρποῦ τοῦ ξύλου. מפרי עץ — Coisl. solus ἀπὸ κ. παντὸς ξ. — Apud Holm. π. in textu, margo κ. 127, et omittit Art. — ἀπὸ παντὸς ξ. 15, 18, 19, 20, 37, 38, 59, 61, 72, 74, 82, 106, 107, 108, 135, Compl., Alex., Theophilus. — ἀπὸ παντὸς τοῦ ξ. 32, 56, 76, 128, Severian., Bas. Sel., Anast. MS., Procop. MS., Iren. Intp., Ambr., Luc. Cal., Arab. 1, 4. — ἀπὸ παντὸς καρποῦ ξύλου 16, 130, 131, Cat. Nic. — ἀπὸ π. κ. τ. ξ. 14, 25, 57, 73, 78, 79, Arab. 3. — ἀπὸ τοῦ ξύλου 134. — Ergo secundum Holmesium, quum Vatic. et reliqui Codd. h. l. deficiant, Codices, qui lectionem *Editionis* Vatic. referunt, supersunt illi I, VI, 31, 55, 68, 75, 77, 83, 120, 121, 129, et margo 127: (praeterea sic habet August. alicubi, sed alibi aliter, locis citt. a Grabio in Ep. ad Mill. p. 81): Ed. Ald., Versio Copt., Slav., Arm., Georgiana. Ergo Editores Romani invenerunt lectionem suam certe in Cod. 129, qui fuit Ant. Carafae, Cardinalis. Codd. 120 et 121 ubique fere consentiunt cum 68, item fortasse ab his Editoribus collati. Cod. 73 et 77 alibi multum conveniunt, h. l. non item. Cod. 31 et 83 ab Holmesio referuntur ad τὴν Κοινήν. Vide supra p. 114. Cod. I et 75 ad Tetraplarem Recensionem: Vid. p. 115. Quodsi verae sunt Holmesii opiniones de his rebus, sane mirum est, Codices τῆς Κοινῆς et Tetraplares, i. e. non ad Hebraica exactos, plane exprimere h. l. lectionem Hebraeam: quum tamen Arab. Hexaplaris, et tot alii παντὸς vel addant, vel substi-

tuant

Digitized by Google

tuant. Sane poterat esse מפרי כל עץ הגן ; vel מכל עץ הגן, ut est II, 16 et III, 2. Attamen כל hic commode potest subaudiri, et מפרי עץ opponi proxime sequenti מפרי עץ אשר cet.; ut παντὸς sit vetus τοῦ ξύλου additamentum, postea cum καρποῦ conjunctum eique praepositum; tandem propter versionis ἀπὸ καρποῦ τοῦ ξ. duriorem simplicitatem perpetuo servatum.

4. τοῦ παραδ. — Holm. τῷ παρ. X, 59.

οὐ φάγεσθε. — Holm. οὐ μὴ φάγησθε X, 14, 25, 32, 56, 57, 73, 78, 129, 135, Cat. Nic. — μὴ addunt etiam 13 alii, et est multiplex varietas h. l.

οὐδὲ μή. — Holm. οὐδ' οὐ μὴ X, 19, 37, 56, 59, 61, 74, 76, 129, Orig., Anast. MS.; οὐδε μη αὖ (sic) 130.

23. καὶ λάβῃ ἀπὸ. ולקח גם מ. — ἀπὸ omittit X: item III i. e., *Codex*. Alex., 59, 71, 75, 129, et Patres nonnulli.

24. αὐτὸν, sic item Hebr. — αὐτοὺς Coisl. solus.

IV. 16. ἐν γῇ Ναΐδ. בארץ נוד. — ἐν τῇ γῇ Ν., Coisl., et 75 sive Oxon.

18. τὸν Μαλελεὴλ· καὶ M. מחויאל ומחייאל. — Μαουηλ X, 129. Varii varie scribunt.

V. 2. καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς· καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἀδάμ. Sic item in Hebr., nisi quod post *nomen* est affixum plurale. — Apud Holm. καὶ εὐλ. αὐτ. omittunt X, 15, 18, 20, 37, 74, 76, 82, 106, 134, 135, Chrys.: eadem omissa in textu supplet margo 64. — Τὸ ὄνομα solus omittit Coisl. — αὐτῶν habent X, 15, 38, 59, 61, 64, 74, 76, 82, 106, 134, 135, Ed. Alex., Chrys, Aug., Hier., Eucher. Lugd., Arab. 1, 2; Arm. 1, Arm. Ed.; αὐτων sed ου super ων 56: αυτου sed ου in rasura 37. αυτω 16. — Apud Montf. lectioni αὐτῶν praeponitur Ἄλλοι.

11. πέντε ἔτη καὶ ἐννακόσια. In Hebr. repetitur *anni*. — Coisl. solus ἔτη π. κ. ἐ. Alii aliter. — Comm. 13 alii ad Coisl. accedunt

dunt. — Comm. 14 accedunt ad eum 16 et 131. — Comm. 16 accedunt 16, 127, 131. — Comm. 17 accedunt 16 et 131. — Comm. 21 solus omittit *καὶ ἑκατόν*.

29. *διαναπ.* — *δὴ ἀναπ.* X, 75, 106, 107, Chrys.

30 et 31, ut supra 11, alii accedunt, in his Codex 16. — VI 9 *εὗρε.* Solus *ηυρεν.*

VII 3. *διαθρέψαι.* In Hebr. nil additur. — Solus X addit *σε.* alii aliud addunt. Codex 19 *διαφθεῖραι.*

6. *τοῦ ὕδατος.* — Omittunt X, Alex., Arab. 1, Slav. Ostr.: post *ἐγέν.* transponunt, ut est in Hebr., 129, 134, 135. — Pro *ἐγέν.* solus Alex. habet *ἦν.*

16. *τὴν κιβωτὸν ἔξωθεν αὐτοῦ.* *Arca* deest in Hebr. — *τὴν κιβ.* postponunt etiam multi alii. Cod. 53 et 129, item margo 56, plura etiam addunt. *arcam extra illos* Arab. 3: *a. e. eam* Copt., Syrus apud Bar-Hebraeum.

VIII 3. *ἀπὸ τῆς γῆς· καὶ ἠλαττονοῦτο τὸ ὕδωρ.* et sic fere in Hebr. — post *γῆς* habent *ἐνεδίδου* ex repetito multi una cum Coisl. Codices, et Copt. — Pro *ἠλ.* solus habet *ἐλ.* — *Τὸ ὕδωρ* obelo notat X, omittunt 61, 135, Alexandr.

7. Voces inde a priori *ἀπέστειλε* usque ad posterius in Coisl. obelis notantur. At nullus Codex eas omisit: (Cf. supra p. 81). Idem Coisl. cum Cotton. et multis aliis, item Arab. et Copt., Chrys., post prius *ἀπέστ.* addit (contra Hebr.) *τοῦ ἰδεῖν εἰ κεκόπακεν τὸ ὕδωρ.* Cod. 16 habet *ἐκόπασε*, (quod vs. 8 habent 4 alii). — Idem Coisl. cum multis aliis *οὐχ ὑπέστρ.* Apud Montf. sic habent ὁ Σύρ. καὶ ὁ Ἑβρ. — (in fine contra Hebr. habent *προσώπου τῆς γῆς* 4 alii). — Versu 8 *προσώπου τ. γ.* habent I, X, multi alii: sic item Hebr. (Codex tamen Kenn. 69, et De Ross. 669 primo, at Vatic.). — Versu 8, pro *ἀπέστ.*, Coisl. et multi alii *ἐξαπ.*

IX. 1. *καὶ πληρώσατε τὴν γῆν* obelo notat X. — In Hebr. sequentia desunt, ubi solus Coisl. *κατακυριεύετε.*

IX. 11. *καταφθεῖραι.* — Multi *τοῦ κατ.* — X et 59 *διαφθ.*

22. *ἀδελφ. αὐτοῦ.* — Solus Coisl. *αὐτοῦ αδ.* — Item solus vs. 23 addit *αὐτῶν* post *ἱμάτ.* (contra Hebr.)

28 et 29. Annorum numerum solus sic habet.

Haec sunt ex IX Capitibus a Griesb. notatae lectiones Coislinianae singulares. Pergit idem usque ad Cap. XXVI. Unde specimina haec depromemus.

XII. 5. Καὶ ἔλαβεν .... ἣν ἐκτήσαντο, ἐκ Χαῤῥάν. — Hebr. בחרן in Haran. — ἐκ X. omittunt 75, 135. — Sed 135 una cum 55, 74, 76, 134, Arab. 3, interponunt ἐν Χαῤῥάν. — Pro ἐκ X. habent ἐν Χαῤῥ. X, 14, 15, 18, 19, 25, 31, 38, 73, 76, 77, 78, 107, 108, 128, 129, 134, Cat. Nic., Chrys., Cyr. Al., Hier., Slav. — Codicum 76, 134, 135 lectio sic non satis perspicue reddita est. — Prava lectio ἐκ X., dubitari potest, sitne orta ex errore librariorum, an ex interpunctione supervacaneâ post ἐκτήσ. — Pro ἐξήλθοσαν Coisl. et multi alii ἐξῆλθον. — Idem in fine, convenienter Hebraeo, (quamvis Kenn. Codex 75 omittat), cum multis aliis addit *et venerunt in terram Canaan.*

XIV. 11. *εἰς τὴν ὀρεινὴν ἔφυγον· ἔλαβον δὲ τὴν ἵππον πᾶσαν τὴν Σοδόμων.* Et sic habet Hebr. — Post *ἔλαβ. δὲ* habent *καὶ τὴν ὀρεινὴν καὶ πᾶσαν τὴν ἵππον* cet. X et 29, item Chrys., item (sed hi *πᾶσαν* post *ἵππ.*) 55, 74, 134: eadem, sed mutilata, 129: *κ. τ. ὀ. κ. π. τ. οἶστρὸν* 107: *τὴν ὀρ. καὶ ἐπρονόμευσαν τ. ἵ. π.* 31, 83, Ald. — *τὴν* ante *Σοδ.* Coisl. aliique omittunt. — In fine אכלם *βρώματα* vulgo: sed *βρωτὰ* 107, 130: *ἅρματα* 72: *σώματα* 129: *σιτηρέσια* 32: *ὑπάρχοντα* X, 31, 83, 135, Alex.

15. *καὶ οἱ παῖδες αὐτοῦ.* Sic item Hebr. — Codex 20 *οἰκογενεῖς.* — Pro *αὐτοῦ*, habent *μετ' αὐτοῦ* X, 37, 74, 76, 106, 107, Slav. — Ibidem, pro *κατεδίωξεν*, habent *ἐξεδ.* X, 16, (25 in marg.) 57, 59, 74, 76, 77, 78, 128, 130, 131, 134, 135, Cat. Nic.: *ἐδίωξεν* Cotton. aliique.

XVI.

Digitized by Google

XVI. 3. Τοῦ οἰκῆσαι Ἄβραμ ἐν γῇ Χαναάν. Sic item Hebr. — Coisl. τοῦ συνοικῆσαι Ἄβραμ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς ἐν γῇ Χαναάν. — Τοῦ συνοικ. habent item 20, 54, 74, 76, 107, 130, 134, 135, Chrys. — post Ἀβ. addunt τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς 74, 134, Chrys.: praeponunt Σαραν 54, et 107. — Mox pro ἔδωκεν habet Coisl. cum multis aliis καὶ ἔδ., contra Hebr. et contra structuram participii praecedentis.

XIX. 3. ἔπεμψαν — Holmes. „ ἔπεμψεν X, 16, 18, 31, 71, 72, 75, 131. Interpositum est μ ante ψ ex Alexandrinismo, sive ex solenni usu Codicum Alexandrinorum."

Hinc igitur magis etiam confirmatur, quod Griesb. posuit, lectiones singulares hujus Codicis esse omnino rariores.

Saepius autem in hoc quidem genere locorum cum Coisliniano consonant Codices 20, 31, 59, 74, 76, 129, 134, 135.

XI. Basiliano-Vaticanus, Saec IX, optimae notae, videtur Montfaucono. Holmesius dolet, initio et fine eum esse mutilum. Nam licet cum aliis ad communem pertineat familiam, tamen habet lectt. aliquando plane singulares. Vid. Stroth. l. c. p. 106 n°. 4.

G. Hi sunt Unciales, quos vocant. Sequuntur Codices literis ligatis.

Codex 14. Vaticanus, Saec. X, cum Patrum Catena, in fine mutilus.

15. Coislinianus, Saec. IX vel X, a Montf. descriptus Bibl. Coisl. p. 32 — 38. Cf. Stroth. p. 116 — 118. Textus, judice Holm., per totum Pentat. vix derivatur e fonte eodem. Alibi consentit cum Ed. Vatic., tamen versus finem Pentat. plurima habet, quae Hexapla Theodotioni tribuerunt. In Levitico deficiunt duo folia. At in nullis fere Codd. hoc non accidit. Quapropter hoc de singulis nos jam non repetemus. Supra dixerat Holm.,

 eum

cum fortasse esse Tetraplarem. Vide supra p. 115, et § 37 C.

16. Mediceus, Saec. XI, habet lectt. recenti manu adscriptas.

17. Moscuensis, Saec. X, continet Genesin tantum, cum scholiis multorum Patrum. Tantum per primum Caput Geneseos collatus est.

18. Fesulanus, prope Florentiam, Saec. X. Liber Geneseos scriptus est Saec. XIV. Scholiis abundat.

19. Chigianus, Romae. Saec. X. Sunt in margine, sed tantum ad finem Codicis, Lectt. Hexapl. Continet in Pentateucho textum adhuc ignotum, et Complutensi simillimum; atque idem deprehendetur in uno alteroque ex seqq. Codd. Supra suspicatus est, hunc esse Lucianéum vel Hesychianum. Vid. sup. p. 116 et infra § 37 E, K.

20. Dorothei. τοῦ ἐν Ἰασοῖ. Saec. IX. Continet Genesin, et ipsum, ut videtur, textum Chrysostomi. Cf. p. 123.

25. Monachiensis. Saec. X. Ingens Catena Patrum et alia similia. Bonae notae Codex habet nonnullas lectt. singulares.

28. Vaticanus, Saec. XI, continet partem Numerorum et Deuteron. Textus videtur ex eodem archetypo, quo alius Basilianus, 97, descriptus esse.

29. Venetus. Saec. X aut XI. Incipit Gen. XLVIII. 13. In Pent. textus idem videtur, qui Aldinae. Supra dixerat, (vide paulo ante p. 114), hunc referendum videri ad τὴν Κοινήν. Cf. Codex 68. Stroth. p. 111 n°. 21. et infra § 37 A.

30. Casanatensis, Romae. Saec. XI. Incipit Gen. XXIV. 13.

31. Caesareus, Vindobonae. Saec. XIII vel XIV. Continet librum Geneseos unicum cum Catena. Suspicatur hunc pertinere ad τὴν Κοινήν. Vid. sup. p. 114, 123. Cf. Stroth. Vol. XI. p. 49. n°. 113.

32. Eugenii, olim Archiepiscopi Slabinii et Chersonis. Saec. XII a Graeco scriba, docto ac diligente.

Digitized by Google

37. Moscuensis. Lectionarium Saec. XII. Specimen ejus dedit Matthaeus in Tabula Epist. ad Hebr. adjecta sub nota Cod. T.

38. Escurialensis. Saec. XIII. Stroth. p. 115.

44. Zittaviensis. Continet libros τῶν ὁ Historicos, et N. T. In libris Mosis interdum consentit cum Cod. 75, licet ab eo subinde longe dissentiat: sed convenit multo magis cum Cod. 106. Supra dixerat, fortasse hunc esse Tetraplarem. Vid. p. 115, et § 37 C.

45. Escurialensis, Saec. XI, Lectionarium, unam tantum in Pentat. habet lectionem.

46. Coislinianus. Vetustiora ad principium videntur esse Saec. XII, multa rescripta Ao. 1526. Cf. Montf. Bibl. Coisl. p. 39, et Stroth. p. 107.

47. Folium Bodleianum continet tres Exodi versus.

52. Liguriensis. Est nunc Florentiae, Saec. X, cum perpetua Patrum Catena, in qua hic illic Aq. et Symm. memorantur. Cum Cod. 106 ubique fere consentit. Vid. § 37 D.

53. Parisiensis, Saec. XV. Vid. § 37 K, § 43.

54. Parisiensis, Saec. XIV. Stroth. p. 115 no. 26.

55. Vaticanus, Saec. XII.

56. Parisiensis, Saec. XII. Stroth. p. 111.

57. Vaticanus, Saec. XII, cum Catena, et in margine Scholiis, Aquilaeque et Symmachi lectionibus. Arcte cognatus Codex 73. Vid. § 37 F.

58. Vaticanus. Saec. XIII. Textus huc usque incognitus quamvis ad 72 saepe accedat, vix tamen est idem: fortasse, ut supra dixerat, Luciani vel Hesychii. Vid. p. 116, et infra § 37 E. F. G.

59. Glasguensis. Saec. XII. Forte τῆς κοινῆς. Vid. p. 114. Nonnulla varietas ex hoc Codice subjuncta est Polyglottis Antverpiensibus et Parisiensibus. Vide supra p. 24, 123. infra § 37 A.

61. Bodleianus, Saec. XII, Lectionarium, optimae notae, consentit inprimis cum Complutensi.

64. Parisiensis. Saec. X vel XI. Habet in marg. aliquas aliorum Interpp. lectiones: quas ad Hexapla transtulit Montfauc. ex hoc ipso, ut videtur, Codice, eumque appellat egregiae notae. Fortasse τῆς Κοινῆς: vide supra p. 114. Cf. Stroth. p. 109. infra § 37 A.

68. Venetus. Ex variis Codd. praestantioribus descriptus esse videtur, forte jussu Bessarionis. In 4 postremis libris Pentateuchi, et in fine Geneseos, textus Codicum 29, 120, 121, 122, qui omnes sunt Veneti, ubique in hoc exprimitur. Sed cum in Cod. 29 deficiat Geneseos liber pene totus, et textus Geneseos sit in hoc 68 magis emendate scriptus, quam in 120, 121, 122, idcirco in Genes. libro fere toto Codex 68 citabitur; atque in 4 sqq. libris Codex 29 unicus. Ergo his 5 Pentateuchi Codd. Venetis unius tantum testimonium continetur. Cf. Stroth. p. 106 no. 3.

71. Parisiensis, Saec. XIII, scribae imperiti. Ex margine hujus Codicis, suspicatur Holmesius, lectiones aliquas ad Hexapla sua Montfauconum transtulisse. Cf. Stroth. p. 110 no. 15.

72. Venetus. Saec. XIII. Archetypum Codici videtur fuisse vetustum, fortasse Unciale. Correctorem saepe prodit Hebraismos et Pleonasmos tollentem; restituentem, ut putabat, sermonis ordini concinnitatem. Textus adhuc incognitus, fortasse, ut supra dixerat, Lucianéus vel Hesychianus, saltem in Gen. Ex. Levit.; nam in Numer. et Deuter. accedit propius ad Complut. Vid. supra p. 116. et Cod. 58. infra § 37 E, K, § 43.

73. Vaticanus, Saec. XIII, cum Catena ab illa Codicis 57 haud multum diversa. In margine, sed raro, habet Aq., Symm. et Anon. lectiones, et aliquando Scholia, quae in Ed. Vatic. exstant. Vid. § 37 F.

74. Marcianus, prope Florentiam, in Pentat. Saec. XIV; textus

rus videtur ejusdem indolis atque Alexandrinus, paulo tamen propior Vaticano. Vid. p. 123, § 37 F.

75. Oxoniensis, cum ab aliis tum a L. Bosio celebratus. Vid. supra p. 25, 32, 73. Scriptus ex optimo archetypo, sed forte ad vocem dictantis, Saec. XII. Specimen scripturae edidit Montfauc. Textus fortasse Tetraplaris. Vid. supra p. 115: Stroth. p. 116: infra § 37 C, § 43.

76. Parisiensis. Saec. XII. Codex rescriptus, cui subjacet alius Textus de Jure Graeco-Romano. Stroth. p. 113 no. 23. Vid. p. 123, § 37 F.

77. Vaticanus, Saec. XIII vel XIV, ex eodem ut videtur archetypo, quo 73. Habet Catenam. Vid. § 37 F.

78. Vaticanus, Saec. XIII, habet Catenam. Vid. infra § 37 B.

79. Vaticanus, Saec. XIII, habet Catenam. Vid. § 37 B.

82. Coislinianus, Saec. XII vel XIII. Per libros Pentat. continet fere textum Ed. Vatic. Cf. Montfauc. B. Coisl. p. 38, 39. Stroth. p. 111. infra § 37 B, K.

83. Evorensis, scribae negligentis, ad Ed. vel Vatic. vel Ald. praecipue accedit. Fortasse τῆς Κοινῆς: vid. p. 114. infra § 37 A.

84. Vatic., Saec. XI, optimae notae, sed mutilus. Vid. § 37 B.

85. Vatic., Saec. XI, Geneseos plerisque caret, habet in margine lectiones Aquilae, Symm., Theod., et variantes alterius Codicis, ac Scholia. Haec vero tantum non omnia jam evulgata sunt in Ed. Vatic.: Hexaplaria a Montfaucono, qui eum vocat Basilienſem, (sive Basilianum), i. e. S. Basilii Romanum: supra cf. p. 34. Vid. Stroth. p. 120 no. 35.

105. Burneyanus, Fragmentum Lectionarii. Saec. XIII vel XIV. Continet Ex. XIV. 6—26.

106. Ferrariensis, Saec. XIV. Supplementa, emendationes, notae interlineares et marginales ab aliis alio tempore scriptoribus sunt adjectae. Videtur eo Judaeus Hellenista usus esse. Notae

bonae

bonae Codex: fortasse Tetraplaris. Vid. p. 115. et § 37 C, D, K.

107. Ferrariensis, Saec. XIV, ejusdem scriptoris ex eodem archetypo: itaque non collatus ultra Ex. XVIII.

108. Vatic., Saec. XIV, Genes. Cap. I—XXIX Saec. XV. Textus est ipse fere Complutensis; fortasse Luciani aut Hesychii. Vid. p. 116. et § 37 E.

118. Parisiensis. Saec. XIII. Incipit. Gen. XXVIII. Textus in multis persimilis 19, 108, aut Complutensi, fortasse Luciani aut Hesychii. Vid. p. 116. Cf. Stroth. p. 120, infra § 37 E, K.

120. Venetus, Saec. XI vel XII. Vid. Cod. 68. Stroth. p. 110 no. 16.

121. Venetus, Saec. XI. Vid. Cod. 68. Stroth. p. 110 no. 18.

122. Venetus, Vid. Cod. 68, et Stroth. p. 108 no. 8.

125. Moscuensis, Saec. XV. Variae lectt. tantum e Cap. I. singulorum in Pentat. librorum enotantur. Stroth. p. 109.

126. Moscuensis, Saec. XV. Gen. et Exod. cum Catena, reliqui sine Catena. Collationis idem desiderium, quod in Cod. 125. Stroth. p. 119.

127. Moscuensis, Saec. IX, sed prima folia Saec. XV. Excerpta variarum lectionum hujus Codicis Matthaeus addidit Repertorio Eichh. Tomo IV. p. 257. Nil praeterea ex hoc Cod. nancisci potuit Holm. Vid. Stroth. p. 110: supra p. 39, 85.

128. Vatic., Saec. XII, cum Catena in Genesin, sed non integra.

129. Vatic., olim Cardin. Caraffae, Saec. XIII. Cf. p. 123.

130. Caesareus, Vindobonae, Saec. X., habet Scholia. Stroth. p. 118. Vid. § 37 F.

131. Caesareus, Vindob., Saec. X vel XI. Prima manus notavit in margine nonnullas aliorum Intpp. lectiones.

132. Bodleianus, de quo retulit Brunsius, Saec. XI vel XII: est Codex rescriptus, nam Lectionarium prope evanidum subjacet sermonibus Procli.

133. **Codicum Excerpta Vossiana incertae auctoritatis, a D. Millio edita, a Te Watero Viro Cl. denuo collata.**

Sed quoniam flagrante bello schedae omnes hinc ad Holmesium non pervenerunt, nonnulla tantum huc pertinentia memorare potuit in Addendis. Itaque integram notationem eorum, quae D. Millius omisit, nobis tradidit Vir Clar., idemque in hac ipsâ senectute ad juniorum studia ornanda paratissimus. Quod autem Holmesius Excerpta haec vocavit e Codic*ibus*, monuit me Vir Cl., hac de re dubitari posse, quum ubique tantum addatur MS., exceptis 2 vel 3 locis, ubi MS. MS. Sunt autem, quae D. Millius omisit, hujusmodi:

Genes. III. 6. *καὶ λαβοῦσα ἀπὸ*] MS. *καὶ λαβοῦσα ἡ γυνὴ ἀπὸ.* —

III. 8. *περιπατοῦντος ἐν τῷ π*] Non est in MS., nimirum quod addunt alii Codd. *ἐν μέσῳ τοῦ ξύλου τοῦ. παραδ.* —

III. 9 et 10. *Ἀδὰμ ποῦ εἶ; καὶ εἶπεν αὐτῷ*] Est in MS. — III. 11. *εἶπεν αὐτῷ ὁ Θεὸς* — *Κύριος ὁ.* III. 12. *ἔδωκας* — *δέδωκας.* III. 22. *ὁ Θεὸς* — *Κύριος ὁ Θ.* IV. 10. *τὶ πεποίηκας* — *τί τοῦτο π.* MS. IV. 17. *Ενώχ* — *ἐνὼς.* V. 31. *ἑπτ. καὶ πεντ. τρία* — *τρία καὶ πεντήκοντα καὶ ἑπτακόσια.* MS. XII. 2. *εὐλογημένος* — *εὐλογητός.* XIV. 20. *δεκάτην* — *δεκάτας.* XXII. 1. *ἐπείρασε* — *ἐπείραζε.* Ibidem *εἶπεν αὐτῷ* — *πρὸς αὐτὸν.* Ibidem *καὶ εἶπεν, ἰδοὺ* — *ὁ δὲ εἶπεν, ἰδ.* XXII. 2. *πορεύθητι* — *πορευθείς.* Ibidem *καὶ ἀνένεγκε* — *ἀνένεγκαι.* Exod. II. 5. *ἅβραι* — Tzetz. legit *αὖραι.* υ pro β. V. 8. *πλινθείας* — *πλινθουργίας,* in MS. Ibidem *ἐπιβαλεῖς* — *ἐπιβαλεῖτε.* MS. V. 11. *εὕρητε· οὐ γὰρ* — *εὕρητε, καὶ τὴν σύνταξιν τῆς πλινθουργίας ἀποδώσετε· οὐ γὰρ.* V. 18. *πορευθέντες* — *ἀπελθόντες.* V. 19. *ἀπολ. τῆς πλινθ.* — *ἀπολ. ἀπὸ τῆς.* V. 21. *ἴδοι* — *ἐπίδοι.* V. 22. *τί ἐκάκωσας* — *διά τι ἐκ.* V. 23. *ἐρρύσω* — *ἐρύσω.* MS. MS. VI. 1. *ἤδη* — *ἰδοὺ.* VI. 11. *λάλησον Φαρ. βασ.* — *λαλ. πρὸς Φαραὼ βασιλέα.* VI. 18. *Ἀμ-*

 βράμ

βράμ — Sic MS. (notarat in margine Fr. Junius: „ al. ἀβρὰμ. vitiose.") VIII. 10. πλὴν Κυρίου — πλὴν Κύριος. X. 2. ἐμπέπαιχα — ἐμπέπαρχα. XXXV. 1. καὶ εἶπεν — καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς. XXXV. 2. κατάπαυσις — καταπαύσεις. XXXVI. 8. (Monet Vossius, sumta esse haec verba) e *MSta Catena*. Num. XVI. 1. ἀβιρὼν υἱοὶ — ἀβ. καὶ οἱ υἱοί. XXII. 32. οὐκ ἀςεῖα — οὐχ εὐθεῖα. XXIII. 10. σπέρμα Ἰ. — σπέρμα τούτων Ἰ. XXIII. 13. ἐξ οὗ οὐκ ὄψ. — ἐξ οὗ ὄψ. XXV. 1. Σαττεὶν — Σαττίμ. Suid. voc. Λώτ. XXIX. 7. ἔργον οὐ — ἔργον λατρευτὸν οὐ.

Praeterea haecce me monuit Vir Cl. Te Waterus: „ Perperam Millius Vossio tribuit annotata ad Gen. VIII. 8, Exod. XV. 1, XVIII. 21, Levit. IV. 31, V. 7. Non sunt ea Vossii, sed Franc. Junii. — In Bibl. Leid. servantur quoque Biblia Graeco-Latina, Basileae edita A. 1582, quibus notas manu sua adjecit Paulus Colomesius. Sed pleraeque editae sunt a Colom. in Observat. Sacris, quas in ejus Operibus recudi curavit J. A. Fabricius Ao. 1709. In Annott. MSS. pro βλαστοῦ Gen. XLIX. 9 legendum censuit βιαστοῦ. Quae conjectura mihi non placet."

134. Mediceus, Saec. X. Vid. p. 123, § 37 D.

135. Basileensis, continet Gen. et Exod. usque ad Cap. XII: habet Catenam. Cf. p. 123.

136. Bodleianus. Ad calcem subscribitur annus 1043. Excerpta continet, nullo ordine disposita. Stroth. p. 126 no. 42.

— H. Editionis Complutensis Codices omnes non intercidisse putat, quum e suis Codd. tres ipsum paene Pentateuchum Complutensem habeant. Cf. enotata ex iis, quae dixit ad Cod. 19, 61, 72, 108, 148. Supra videatur item pag. 107: infra § 37 L. Cf. Eichstaedius ad Morum II. p. 166.

— Editionis Aldinae recensionem τῆς Κοινῆς suis nonnullis Codicibus

bus contineri putat. Supra videatur p. 107, et 114: item enotata de Cod. 29 et 83: infra § 37 A, L.

De Edit. Vatic. et Alex. mox sermo erit.

Editio Lipsiensis, Fischeri, e Codice Lipsiensi 700 annorum, complectens libros Levit. et Numer. integros, Ex. et Deut. mutilos, textum habet similem Codici X. Vid. supra p. 34. Stroth. p. 126.

Catena Nicephori textum habet Aldini simillimum. Vid. supra p. 35.

Patres, animadverti vult, alios ante Tetrapla, alios ante Hexapla, alios post Tetr. et Hex. vixisse. De Patrum citatione in opere Holmesiano aliquid scripsit Alterus in libello Germanico (*Allgemeines Literarischer Anzeiger*) Ao. 1796: quamquam quid scripserit, nescio. — Solent autem Patres fere citari, ubi a vulgari lectione discedunt. Neque tamen, ubicunque ab hac non aperte discedunt, continuo ad eam accedunt. Multi multa loca plane non attigerunt.

De Versionibus supra dictum est § 22.

I. Ergo ad Pentateuchum jam lectiones excitatae sunt e 72 Codicibus Graecis, tum ex Edit. Lipsiensi, quae item Codicem MS. exprimit, praeterea ex Cat. Nic. quae item vice Codicis fingitur. Ad Genesin alium Codicem, sed ubique eundem cum Edit. Aldina, haud contulit. Sed contulit quosdam alios ad Canticum Moysis Exod. XV et in Deuteron. In Genesi collati sunt 55 Codices: in Exodo 54: in Levitico 50: in Numeris 53: in Deuteronomio 51. Quo magis autem Holmesii de Codicibus suis sententia tota cognoscatur, enumerabimus eos secundum Saecula, quibus ille singulos assignavit. At hic omittuntur Cod. VII, 44, 47, 83, 122, 133, 135.

Saec. IV aut V scriptus est Codex I.

 Saec.

Saec. V. Codex II, III, IV et V.
Saec. VI. Codex VI.
Saec. VII. Codex X.
Saec. IX. Codex XI, 20, 127.
Saec. X. Codex 14, 15, 17, 18, 19, 25, 52, 130, 134.
Saec. XI. Codex 16, 28, 29, 39, 45, 64, 84, 85, 121, 131, 136.
Saec. XII. Codex 32, 37, 46, 55, 56, 57, 59, 61, 75, 76, 120, 128, 132.
Saec. XIII. Codex 38, 58, 71, 72, 73, 78, 79, 82, 118, 129.
Saec. XIV. Codex 31, 54, 74, 77, 105, 106, 107, 108.
Saec. XV. Codex 53, 68, 125, 126.

In prima Relat., de Editione, Anni 1801 pag. 11 professus est, se habere in universum Opus collationem plus quam trecentorum Codd. Gr. MSS.; 20 Codd. Orient. MSS.; 11 Editt. Gr. et Orient.; et circiter 30 Patrum Gr.

§ 26. *De Codice Vaticano.*

Dudum inprimis celebrati sunt vetustissimi Codices, Graecum Vetus pariter ac Novum Testamentum complexi, Vaticanus et Alexandrinus, ambo toti typis editi. Inter Codices Unciales, quos vocant, notatur ab Holmesio Vaticanus numero II, Alexandrinus III.

Eos qui de Codice Vaticano disputarunt, auctores permultos indicavit F. A. Strothus in Repert. Eichh. V. 104, et Scharfenb. ac Pfeiff. in notis ad Fabricii B. G. Vol. III p. 677—679. Et alii postea praesertim de altera parte Codicis, Novo Test., exposuerunt. Itaque pro nostro instituto satis habemus nonnulla summatim referre de Pentateucho.

In utriusque Codicis aetate, indole, ac praestantia comparanda nonnulli modum excessisse videntur viri docti, Pontificii ac Pro-

testantes, corrupti studio partium Ecclesiasticarum.

Vaticanum Hieronymo antiquiorem, ergo non post Saec. IV scriptum esse putabant primi Editores Romani. Montfaucono (in Diario Italico p. 277) videbatur esse quinti, sextive Saeculi. Correctoris manum subiit, servatâ simul ubique priscâ scripturâ. Item Holmesius monet, marginem habere aliqua a veterrima manu, alia a recenti. Codex incipit Gen. XLVI. 28: quod omnino notandum est in superioribus Geneseos Capitibus.

Mittamus, qui propemodum ipsi primae, ab ipsis Interpretibus factae, Editioni simillimum Codicem esse voluerunt. Secus esse, monuerant Romani Editores, ipseque adeo subinde fatetur Jo. Morinus. Verumtamen dudum existimarunt plerique, eum pertinere ad Veterem illam Editionem, quam vocarunt, Simplicem, sive τὴν Κοινήν.

Fuerunt, qui hoc concederent universe; sed subinde ex seriore recensione: Andr. Masius (*d*) ex Lucianéa, confutatus ille ab Usserio (*e*): Grabius ex Hesychiana (*f*): Montfauconus ex Origeniana (*g*): alii aliunde nonnihil admixtum suspicarentur.

Holmesius Editionem Vaticanam pro Textu nostra aetate communiter Recepto habuit. Praeterea et pauca alia, et postrema haec monuit: „ Obtinuit ea sententia, ac merito quidem, ut videtur quoad Pentateuchum, quod in Codice hoc contineatur textus τῆς Κοινῆς: et is sit forte immunis a quibusdam vitiis, quae invaserant Codices aliquos, quibus usus est Origenes. Hoc vero quomodocunque sit, videbatur a me deberi, ut ostenderem, num esset aliud in Codice, aliud in Edit. Vaticanâ. Illius igitur ab hac Variantes per hos libros Pentateuchi subjicio." Vi-

(*d*) In Josuae Imp. Historia: Annott. quibus Ed. Gr. ratio explicatur p. 125.

(*e*) In Syntagm. de Gr. LXX Intpp. Vers. Cap. 8 pag. 87.

(*f*) In Epist. ad Mill. p. 40 sqq., et Proleg. Cap. I § 10.

(*g*) Praelimin. Cap. IV § 5 p. 43.

Ipsum Codicem Galli Parisios deportarunt.

Vide supra p. 114; et Cod. 15, 82, 83: infra § 36; § 37 A, B, H, I; § 42 C, D; § 43.

§ 27. *De Codice Alexandrino.*

De hoc item Codice scriptores enumerat Strothus l. c. pag. 96 sq. Et alii postea in eo, maxime quidem in Novo Test., versati sunt. Sed nunc sermo est nobis de Pentateucho.

Memoriâ traditum esse significavit Codicis donator Cyrillus Lucaris, Patriarcha, eum pertinere ad Saec. IV. Idem statuit Grabius in Prolegom. Cap. I § 4. Nonnulli in Saec. VIII vel X eum rejecerunt. Alii aliter, de quorum sententiis cf. Woidius in Praefat. N. T. Sect. IV, et Spohnius in Additamentis. Holmesius eum vix scriptum esse putat ante finem Saec. V.

Varias correctorum manus subiit. Hic illic vetustas nonnulla absumsit, quod tamen magis etiam Vaticano accidit. Cf. Grabius Prolegom. Cap. I § 8, 9: Woidius Praefat. Sect. III § 27, 38, 40. In lectionibus ejus nonnullas conjecturas deprehendere sibi visus est Michaëlis in Or. B. IX 167—171, sive ab ipso hujus descriptore factas, sive ex vetustiore Codice descriptas.

Grabius ejus consensum praedicavit cum Philone, Patribus, Hexaplis, cet. Similia de Vaticano praedicarunt Romani Editores. Unde suarum utrique membranarum praestantiam probare voluerunt. Sed omnino missâ illius aetatis de bonitate horum Codicum contentione, valde illâ incertâ adhuc et vagâ, in posterum praestabit antiquissimas, ad quas singuli pertineant, recensiones indagare. Et fuerunt subinde, qui Versionum sive cum Vaticano, sive cum Alex., sive cum aliis antea cognitis Codicibus convenientiam indagarunt. Plerumque id in aliis libris magis factum est quam in Pentateucho.

F. A.

F. A. Strothus l. c. p. 104. „ Quamquam, inquit, magnam partem recensionis Hexaplaris esse videtur Codex Alex., tamen plures antiquiores etiam lectiones continet, ut apparet ex Justini M. locis a me excerptis." Cf. supra p. 95 — 101. — Et vero Grabius ubique ut Hexaplarem, qualem ipse sibi proponebat, recensionem exprimeret, undecunque petitis praesidiis assidue multa mutare debuit, in quibus Alexandrinus Codex ab Hexaplorum similitudine prorsus discedere videbatur.

Sed audiamus Holmesium: „ Codex III, inquit, sive Alex., est e Codd. Musei Britannici. Mihi videtur esse scriptus in Aegypto vix ante finem V Saec. Specimen atque Notitiam praemisit Editioni suae Grabius. Ille vero hunc Vaticano praefert, sed non per exempla e libris Mosaicis probat. Profecto hic Codex omisit in Pentat. plurima, quae Grabius supplevit: et quorum nonnulla leguntur in Edit. Vaticana. Sed plura multo mutuatus est a Codice vere Hexaplari, in quo sub Asterisco ferebantur. Quod facere videtur ad indolem hujus Codicis in Pentateucho definiendam. Si enim in Pentateucho fuerit revera Hexaplaris, unde hoc accidit, ut tam multae lectt. Hexaplares essent in illum inducendae? Si quis igitur opinetur, hunc Cod. in textu Mosaico esse Tetraplarem potius, quam Hexaplarem, et vix e praestantissimis in suo genere, illi equidem haud repugnarem."

„ Quae vero hic sub numero III notantur ubique Codicis Alex. Variantes, sunt ex duplici genere. — Primo, lectt. Codicis Alex. multae, ut [a Grabio] repudiatae, margini Editionis Alex. mandantur: et ex iis aliquae sunt a Vaticanis diversae. — Secundo sunt lectt. nonnullae, quae, ut in Codice Alex. omissae, ad textum Editionis Alex. sub minori charactere admoventur: et haec supplementa exstant saepe in textu Vaticano. Variat igitur ab Editione Vaticana in utroque hoc genere Codex Alexandrinus."

Capite IV haec habet: „ *Editio* Alexandrina prodiit operâ ip-

sius

sius Grabii in Octateucho, et libris Metricis. — Universum vero Editionis textum exscriptum e Codice Alexandrino et cum eo diligenter collatum ipse Grab. ad prelum paratum reliquerat. De hac Editione dicam tantum, eam in Pentat. aliquando ex ipso textu Vaticano, saepius vero e Complutensi suppletam esse: — sed sine injuria, quoniam nulla supplementa nisi in charactere minore induxit."

Vellem indicasset Holm., utrum ipse denuo hunc Codicem contulerit. Quod si neglexit, id profecto multum de hujus Operis pretio detrahit. Nam postremum hoc de Grabii supplementis positum vehementer in dubium vocatur: hactenus certe, ut repudiatam lectionem Codicis non semper in margine apposuerit. Sed suspicari vix licet, Holmesium non curavisse, ut per Editionem suam hujus Codicis varietas, quantacunque sit, tota cognosceretur. Et vero Britannos integram ipsius Codicis figuram scripturamque exprimere coepisse, monuimus p. 50.

Supra videatur p. 25, 31 — 33, 102, 115: et enotata de Cod. I, X, 74: infra § 36 § 37; C, D, F, H, K; § 42 C, D; § 43.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

DE VARIIS LECTIONIBUS LOCORUM PENTATEUCHI IN NOVO TESTAMENTO ALLATORUM.

§ 28. *De horum comparatione universe.*

Cum tota Novi Testamenti interpretatio maxime proficiat per certam intelligentiam usumque Versionis Alexandrinae, tum peculiaris quaedam hujus comparandae sponte intelligitur necessitas iis in locis, ubi loca V. T. afferuntur. De horum igitur, Mosaicorum certe, variis lectionibus nunc operae pretium est referre separatim.

Habet autem res ea variam ancipitemque disceptationem, multis multorum scriptionibus agitatam. Cf. Morus in Acroasibus Vol. II p. 90—103. Quamvis enim locorum interpretatio Graeca, quam Novum Test. habet, saepius conveniat cum Alexandrina; tamen, sicubi est differentia, dubitatur, num ex illa versione, an ex ipso Codice Hebraeo, vel aliunde, suam duxerint Scriptores Novi Foederis. Praeterea satis apparet, hos ea loca saepe memoriter posuisse, atque adeo, ut in hoc genere fieri solet, verba quaedam ad suum consilium accommodate immutasse. Fuerunt item, qui suspicarentur, hoc genus locorum data opera depravatum esse in nonnullis Codicibus, sive Versionis Graecae ex Novo Test., sive hujus ex illa. Denique quum Ecclesiastici Scriptores pariter ex memoria saepe Sacri Codicis utriusque sententias posuerint, in hoc genere paratissimus erat memoriae lapsus, et lectionum diversarum

confusio, ubicunque scribenti simul alterutra pars sententiae magis ex Versione, altera magis ex Novo Test. succurrebat.

In hac vero caussa inprimis desiderarunt viri docti pleniorem editionem Versionis Graecae. Licet igitur complura loca, sive quod ab ipsis Apostolis ex Hebraicis reddita sint, sive quod ea non verbotenus ex Alexandrina Versione sumserint, conciliari nequeant; tamen, quum eadem Euangelistas et Apostolos haud temere statuatur in Mosaicis certe libris usos esse, nonnullorum locorum differentia per Syllogen Holmesianam commodius tolletur aut minuetur. Nos in singulis locis nunc non adeo disputabimus, sintne ex Graecis an Hebraicis sumta: neque illud, quatenus Graecae Versionis verba quaedam dedita opera omiserint aut mutaverint: sed nunc unice attendemus ad lectionum quarumcunque variarum consonantiam.

Itaque in hoc Capite aliquanto diligentius versabimur, referemusque de singulis ex hoc genere locis nominatim, tum Novi Test. varias lectt. Griesbachianas: tum Versionis qui Codices a Vaticano dissentiant: tum in Euangeliis, qui Codices Interpretum Alexandrinorum in singulis locis adhuc integri sint, deficientibus aut mutilis reliquis Codicibus. Utique hoc semper in omnibus libris ac locis attendendum est, ne testium silentium vel absentiam pro adsensu habeamus; sed ubique scripto notare infinitum est, ac diuturno relinquendum usui et exercitationi.

Locorum Pentateuchi in N. T. allatorum series haec est:

Geneseos

Cap. I. 1. citatur	Matth. XIX. 4. Marc. X. 6.
27.	ibidem. ibidem.
II. 2.	Hebr. IV. 4.
7.	I Cor. XV. 45.
24.	Matth. XIX. 5. Marc. X. 7, 8. I Cor. VI. 16. Eph. V. 30.

Cap.

Geneseos

XII. 1.	Actor. VII. 3.
3.	Gal. III. 8.
XIV. 20.	Hebr. VII. 1.
XV. 5.	Rom. IV. 18.
6.	—— IV. 3. Gal. III. 6. Jac. II. 23.
13.	Act. VII. 6, 7.
XVII. 5.	Rom. IV. 17.
XVIII. 10.	Rom. IX. 9.
XXI. 10.	Gal. IV. 30.
12.	Rom. IX. 7.
XXII. 17.	Hebr. VI. 13, 14.
18.	Actor. III. 25.
XXV. 23.	Rom. IX. 12.
XLVII. 31.	Hebr. XI. 21.

Exodi

III. 2.	Act. VII. 30.
6.	Matth. XXII. 32. Marc. XII. 26, 27. Luc. XX. 37, 38.
12.	Act. VII. 7.
IX. 16.	Rom. IX. 17.
XII. 40, 41.	Gal. III. 17.
XII. 46.	Jo. XIX. 36.
XIII. 2, 12.	Luc. II. 23.
XVI. 18.	2 Cor. VIII. 15.
XX. 7.	Matth. V. 33.
12.	Matth. XV. 4. Marc. VII. 10. Matth. XIX. 19. Marc. X. 19. Luc. XVIII. 20.
13.	Matth. V. 21, 27. XIX. 19. Marc. X. 19. Luc. XVIII. 20. Jac. II. 11.
17.	Rom. VII. 7.
XXI. 17.	Matth. XV. 4. Marc. VII, 10.
24.	Matth. V. 38.
XXIV. 8.	Hebr. IX. 20.

Exodi	
XXV. 40.	Hebr. VIII. 5.
XXXII. 6.	1 Cor. X. 7.
XXXIII. 19.	Rom. IX. 15.
Levitici	
XI. 44.	1 Pet. I. 16.
XII. 8.	Luc. II. 24.
XVIII. 5.	Rom. X. 5.
XIX. 2.	1 Pet. I. 16.
12.	Matth. V. 33.
18.	Matth. V. 43. XIX. 19. Luc. X. 27. Matth. XXII. 39. Marc. XII. 31. Jac. II. 8.
XX. 7.	1 Pet. I. 16.
9.	Matth. XV. 4. Marc. VII. 10.
XXIV. 20.	——— V. 38.
XXVI. 11, 12.	2 Cor. VI. 16.
Numerorum	
IX. 12.	Jo. XIX. 36.
XXV. 1, 9.	1 Cor. X. 8.
Deuteronomii	
V. 11.	——— V. 33.
16, 17.	——— V. 17, 21. XIX. 18, 19. Marc. X. 19. Luc. XVIII. 20.
VI. 5.	——— XXII. 37, 38. Marc. XII. 29, 30. Luc X. 27.
13.	——— IV. 10. Luc. IV. 8.
16.	——— ——— 7. ——— ——— 12.
VIII. 3.	——— ——— 4. ——— ——— 4.
X. 12.	——— XXII. 37, 38. Marc. XII. 29, 30. Luc. X. 27.
20.	——— IV. 10. Luc. IV. 8.
XVII. 6.	——— XVIII. 16. Jo. VIII. 17. 2 Cor. XIII. 1.
XVIII. 15. 16. 19. 20.	Act. III. 22. 23.
XIX. 15.	Matth. XVIII. 16. Jo. VIII. 17. 2 Cor. XIII. 1.

Deu-

Deuteronomii

21.	Matth. V. 38.
XXI. 23.	Gal. III. 13.
XXV. 4.	1 Cor. IX. 9. 1 Tim. V. 18.
5. 6.	Matth. XXII. 24. Marc. XII. 19. Luc. XX. 28.
XXVII. 26.	Gal. III. 10.
XXIX. 4.	Rom. XI. 8.
18.	Hebr. XII. 15.
XXX. 6.	Matth. XXII. 37. 38. Marc. XII. 29. 30. Luc. X. 27.
11—14.	Rom. X. 6—8.
XXXII. 21.	—— — 19.
35.	—— XII. 19. Hebr. X. 30.
43.	—— XV. 10. Hebr. I. 6.
XXXIII. 2.	Act. VII. 53. Gal. III. 19. Hebr. II. 2.

Alia, veluti Act. VII, Hebr. XI, 2 Cor. XI. 3, 1 Pet. II. 9, eo similia, hic non adeo in censum veniunt.

Scriptores de hoc argumento, quorum postremi, Eichhornius de locis Euangeliorum et Actorum, de locis Epistolarum Koppius Paulinarum, Staeudlinus Catholicarum, exposuerunt, haec loca fere recensuerunt secundum variam inter ea et Hebraeum Graecumve Veteris Testamenti Codicem aut convenientiam, aut differentiam. Cf. Morus, loco quem modo citavi. Ego alium ordinem sequar: sed ita ut apponendis integris locis omnis illa convenientia continuo notari possit. De singulis N. T. libris referam separatim, idque secundum ordinem Capitum Vulgarium. In Euangeliis distinguemus loca quae hic vel ille Euangelista solus habet ab iis, quae duo vel tres simul habent: commodioris comparationis caussa; non quasi magnopere illa se nobis opinio probaret, Euangelistarum alium alius, Marcum verbi caussa Matthaei, scriptionem ante oculos habuisse. Epistolarum Pauli loca ideo a se invicem sejunxi, quia Paulus, ne de Epistola ad Hebraeos dicam, fortasse aliis locis alium, Romae verbi caussa Occidentalem aliquem, Ephesi

Digitized by Google

Orientalem, Versionis Codicem ad manus habuerit: aut certe alio tempore alia citandi ratione usus sit. Unde in discernenda Veteris Test. scriptura ea, quam Paulus expressit, aliquando necesse videri poterit, ut prius inquiratur in propriam singularum Epistolarum conditionem et formam, quam de universa ratione Paulina statuatur. — Absoluta illa quorumcunque hujus caussae testimoniorum enumeratione, denuo praecipuas lectionum varietates breviori in tabula percensebimus.

CAP. III

PARS PRIOR.

De locis Euangelicis.

§ 29. *Loca, quae solus Matthaeus habet, cum variis Lectionibus.*

Matth. V. 33. Cum in sermone Jesu montano plura Legis effata verbotenus afferantur, tum hoc loco memoratur vetitum perjurium; sed ita, ut universe tantummodo sensus referatur: quare hic non est locus conferendis variis lectionibus. Πάλιν ἠκούσατε, ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, οὐκ ἐπιορκήσεις, ἀποδώσεις δὲ τῷ Κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου. — Exod. XX. 7. Οὐ λήψῃ τὸ ὄνομα Κυρίου τοῦ θεοῦ σου ἐπὶ ματαίῳ cet. Nec magis conveniunt Deut. V. 11. Levit. XIX. 12.

Matth. V. 38. ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος. Eadem verba exstant, sed omissa particula καὶ, in Hebr. et Gr. Exod. XXI. 24. Levit. XXIV. 20. Deut. XIX. 21. Nec quid variae lectionis, nisi perparum in addenda particula.

Mth.

Mth. XVIII. 16.

('Εὰν δὲ μὴ ἀκούσῃ, παράλαβε μετὰ σοῦ ἔτι ἕνα ἢ δύο.) ἵνα ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων ἢ τριῶν σταθῇ πᾶν ῥῆμα.

Collato Jo. VIII. 17.

Καὶ ἐν τῷ νόμῳ δὲ τῷ ὑμετέρῳ γέγραπται, ὅτι δύο ἀνθρώπων ἡ μαρτυρία ἀληθής ἐστιν.

Deut. XVII. 6.

עַל פִּי שְׁנַיִם עֵדִים אוֹ שְׁלֹשָׁה עֵדִים יוּמַת.

Versio Gr.

ἐπὶ δυσὶ μάρτυσιν ἢ ἐπὶ τρισὶ μάρτυσιν ἀποθανεῖται.

2 Cor. XIII. 1.

ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων καὶ τριῶν σταθήσεται πᾶν ῥῆμα.

Deut. XIX. 15.

עַל פִּי שְׁנֵי עֵדִים אוֹ עַל פִּי שְׁלֹשָׁה עֵדִים יָקוּם דָּבָר.

ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων, καὶ ἐπὶ στόματος τριῶν μαρτύρων στήσεται πᾶν ῥῆμα.

Collato Numer. XXXV. 30.

In Novo Testamento Griesbachiano notatur, *μαρτύρων* in loco Matthaei omitti in Codice Bezae Graece et Latine; semel ab Augustino: transponi in aliis Codd. — Item pro *σταθῇ* habent *σταθήσεται* 13 Codices, Orig. Chrys., et Codex Lat. Corb. — In Ep. ad Cor. pauci addunt *ἵνα*, et pro *καὶ* habent *ἢ*.

In Deuteron. autem XIX. 15 varias lectiones Holmesius attulit hasce:

Prius *μαρτύρων* omittunt Basil. III. 60. Theodoret. III. 666. Armenicae Versionis Codex 1, aliique: Armen. Editio.

Alterutrum *μαρτύρων*, et, quae iis interjacent, omittuntur in Codice 18.

Pro *καὶ* habent *ἢ* Codex 19, 44, 53, 75, 108, 118. Lucif. Calarit. Chrys. XI. 697 sed alibi ut Vatic. Sic etiam Cyr. Al. IV. 60. Sed *ἢ καὶ* Idem IV. 1075, et alibi quoque, ut Vatic.

ἐπὶ ςόμ. τριῶν]. — *ἐπὶ στόματος* omittunt Cod. 19, 44, 53, 75, 108, 118. Chrys. l. c. et alibi, Basil. l. c. Cyr. Al. IV. pag. 60, 827, 1075. V. 610. Theodoret. l. c. Lucifer Calarit. Versio Georgiana. Armeniacae Codex 1 aliique: Armen. Editio.

στή-

στήσεται.] — *σταθῇ* (sic) Codex 16, 53: *stabiliatur* Slav. Ostrog. i. e. Versionis Slavonicae Editio Ostrogiensis. — *σταθήσεται* Codex VII, X, XI. 15, 18, 19, 28, 30, 32, 44, 46, 52, 54, 56, 57, 58, 59, 64, 71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 82, 85, 106, 108, 118, 128, 129, 130, 131, 134, 136. Edit. Complut., Aldina, Alexandrina. Catena Nicephori. Basil. l. c. Theodoret. l. c. Sic Chrys. XI, 637, sed alibi ut Vatic. Sic Cyr. Al. IV, 827, 1075. V. 610. Sed alibi ut Vatic.

πᾶν omittit Codex 58. cum obelo signant Graec., et Arabicae Versionis Codex 1.

In aliis Codicibus hic locus Deuteron. desideratur. Sed enumerabimus Codices, qui eum habent: sunt autem illi II. III. VII. X. XI. 15. 16. 18. 19. 28. 29. 30. 32. 44. 46. 52. 53. 54. 56—59. 64. 71—79. 82—85. 106. 108. 118. 128—131. 134. 136. Ergo hunc locum habent 45 Codices.

Denique in Hebr. textu secundum על פי omittunt 6 Codd.; praeterea Vulgat., Arabs in utroque Saadiae textu, Targum. Lectio sumta ex Deut. XVII. 6. Cf. De Rossius. — Cap. XVII. 6 Masor. omittit; sed ibi denuo addunt alii.

Vid. § 36 no. 19—22. et annotatio in fine § 36.

§ 30. *Loca quae Matthaeus et Marcus habent.*

Matth. XIX. 4. 5.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· οὐκ ἀνέγνωτε, ὅτι ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς; καὶ εἶπεν· Ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

Marc. X. 6, 7, 8.

Ἀπὸ δὲ ἀρχῆς κτίσεως ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτοὺς ὁ θεός. Ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ. Καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν· ὥστε οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ μία σάρξ.

1 Co-

1 Corinth. VI. 16.

Ἢ οὐκ οἴδατε ὅτι ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ ἓν σῶμά ἐστιν; Ἔσονται γάρ, φησὶν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

Ephes. V. 31.

Ἀντὶ τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ· καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

Gen. I. 1.

בראשית ברא

ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν.

I. 27.

זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם

ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς.

II. 24.

עַל כֵּן יַעֲזָב־אִישׁ אֶת־אָבִיו וְאֶת אִמּוֹ וְדָבַק בְּאִשְׁתּוֹ וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד

Ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ· καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

In Matthaei loco est ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς.] Apud Griesb. κτίσας habent 4 Codd., Coptica, 4 Patres. — In Marco κτίσεως pauci Codd. et Verss. omittunt. — In Genesi Aq. Symm. et Theod. vertunt ἔκτισεν.

ἐποίησεν αὐτούς.] In Marco pauci αὐτ. omittunt, pauci ὁ θ. — In Genesi apud Kenn. ברא omitt. 2 Codd. — Apud Holmes. totum comma omittit Codex 83: ἐπ. αὐτ. omittit Copt, licet supra *illum*, non *illos* habuerit: omittit quoque Arab. Codex 3. — Aq. Symm. et Th. ἄρσεν καὶ θ. ἔκτισεν αὐτούς.

Locum Gen. II. 24. hi Codices Versionis Graecae habent, certe quantum ex Holmesii descriptione Codicum apparet: nam de nonnullis non satis statuere possum. Codex I hoc ipso loco medio incipit: praeterea h. l. habent Codex III. VI. X. 14. 15. 16. 18. 19. 20. 25. 31. 32. 37. 38. 44. 52. 55. 56. 57. 59. 61. 68. 72 — 79. 82. 83. 106. 108. 127 — 131. 134. 135. Habent

quidem, sed, collatis supra § 25 dictis, in censum non veniunt 29. 120. 121. 122. 107. Ergo in censum veniunt 42 Codices: forte praeterea unus et alter: nam semel h. l. dixisse sufficiat, de nonnullis, quamquam perpaucis, hoc minus perspicue notatum esse.

Ἕνεκεν usque ad μητέρα.] In Matthaeo post τὸν πατέρα addunt αὐτοῦ Codices 36, Ed., Versiones, Patrum unus et alter. Idem post τὴν μητ. addunt Codd. 6, Verss., Patres. — In Epist. ad Ephes. αὐτοῦ post τὸν πατ. omittunt 6 fere Codd., Verss., PP.: post μητ. alii addunt αὐτοῦ. — Holmes. haec affert: inter ἕνεκεν et τὴν μητέρα habet sex scriptas super rasuram Codex 31. pro ἕνεκεν habet ἀντὶ Codex 20, Patres saepius. pro τὸν πατ. Codex 79 habet τὴν μητέρα. αυτου post πατέρα omittit Philo I. 75, Polycarp. qui dicitur Ed. Halloix, Theoph. 98, Orig. III, 638.; Armen. 1.; Tert., Ambr., Auctor de Praedict. ap. Prosp. Pro τὴν μητέρα idem Cod. 79 habet τὸν πατέρα αυτοῦ. post μητέρα addunt αυτου X. 14. 15. 16. 31. 56. 57. 59. 61. 73. 75. 76. 77. 78. 82. 106. 127 — 131. 134. Ed. Alex., Theoph., Orig. l. c. Athan. II. 111. Anastas. MS. Damasc. II. 309. Arab. Codex 3. Armen. Codex 2. Arm. Ed.

In Matthaeo simplex κολληθήσεται habent BDFGHS, alii 26, Moscuenses BHV. a. c. f. 17: Ed.: Orig. Chrys. Epiph. — In Marco καὶ προσκ. πρ. τ. γ. αυτ. omittunt B, Mosc. c, Goth.: pro πρὸς τὴν γ. legitur τῇ γυναικὶ in ACL. 1. 67. 91. 118. 131, 7 Codd. Versionis Italae, Hieron. — In Ephes. καὶ προσκ. π. τ. γ. αυτ. omittit Marcion ap. Epiphan. et Tertull. Hieron. diserte. Sed habent Or. Cypr. Ambrst. alii. καὶ κολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ habent D primâ manu, EFG. καὶ προσκ. τῇ γυναικὶ αὐτοῦ A. 17. 37. Mosc. f. (Syr., Slav. 5, et ant. Vulg. It.) Method. Epiph. Sed Orig. ut recepta. — In Genesi τῇ γυναικὶ habent 31. 59. 68. 83. 120. 121. Ed. Ald. Alex. Method. de Resurr. et in Sympos. Orat. III. Athan. l. c. Epiphan. I. 225. 408.

Auc-

Auctor de Virgin. ap. Basil. III. 634. Latini omnes. τῇ γυναικὶ ex correctione, sed primo ut Vatic., Codex 77. margo τῇ γυναικὶ 127. αὐτοῦ omittunt 15, 106. ἑαυτοῦ habet 129, Arm. 2. — Illud οἱ δύο quodammodo habet Samarit. מהם שניהם et erit ex duobus cet. Sic item Jonathan Chald. Interpres, Syrus, Vulgatus, Philo, Hieronymus. Cf. omnino De Rossi. Cf. § 36. №. 7 — 11.

Matth. XV. 4.

ὁ γὰρ θεὸς ἐνετείλατο λέγων· τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα. καὶ ὁ κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα θανάτῳ τελευτάτω.

Marci VII. 10.

Μωσῆς γὰρ εἶπε· τίμα τὸν π. cet. καὶ· ὁ κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα θανάτῳ τελευτάτω.

Exod. XXI. 17.

ומקלל אביו ואמו מות יומת

Vers. Gr. comm. 16.

Ὁ κακολογῶν πατέρα αὐτοῦ ἢ μητέρα αὐτοῦ τελευτήσει θανάτῳ.

Confer. Levit. XX. 9, Deut. XXVII. 16. Priora τίμα cet. infra recurrent.

Codices in censum veniunt II. III. VII. X. 14. 15. 16. 18. 19. 25. 29. 30. 32. 44. 52. 53. 55 — 59. 64. 71 — 79. 82 — 85. 106. 108. 118. 128 — 131. 134. 136. Sunt hi 44 Codices.

Comma 16 ὁ κακολ. cet.] Huic commati comma 17 praemittunt 15. 16. 25. 30. 52. 57. 59. 73. 77. 78. Alex., Cat. Nic., Arab. 1. 2, Arm. 1. aliique, Arm. Ed., huic commati comma 18, 19, praemittunt, et 17 subjungunt Codex 106, 107.

ὁ κακολ.] καὶ ὁ κακολ. 75. Cyr. Al. ὁ καταρώμενος Philo I, 558.

Prius αὐτοῦ] omittunt 18. 19. 52. 75. 106. 107. 118. Cat. Nic., Constitt. App. II. 247. Philo I. c. Chrys. II, 756. III. 517. et alibi saepe. Athan. I. 712. II. 365. Ambros., Slav. Ostrog.

ἢ] καὶ Philo I. c.

Alterum αὐτοῦ] omittunt 16. 19. 25. 131. Constit. App. I. c. Philo I. c. Orig. III. 488. Chrys. Athan. Cyr. Al. II. parte prima 236 IV. 1066. Ambros., Slav. Ostrog.

τελευτήσει θ.] θανάτῳ τελευτάτω VII. X. 15. 18. 19. 29. 55. 64. 71. 72. 74. 75. 76. 83. 84. 106. 107. 108. 118. 134. Compl. Ald., Constit. Ap. Orig. Chrys. Athan., et sic Cyr. Al. IV. 1066, sed alibi ut Vat. θανάτῳ τελευτήσῃ 129. θανάτῳ θανατούσθω 16. 25. 30. 52. 57. 73. 77. 85. 130. 131. Cat. Nic., Arab. Codex 3, Slav., Armen. 1 aliique, Arm. Ed. θαν. τελευτήσει 58, Ambr. τελευτάτω tantum Philo l. c.

Vid. § 36 no. 16—18, et sub finem.

§ 31. *Loca quae Matthaeus et Lucas habent.*

Matth. IV. 4.

Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε· γέγραπται· οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ.

Luc. IV. 4.

Καὶ ἀπεκρίθη Ἰησοῦς πρὸς αὐτὸν, λέγων· γέγραπται· ὅτι οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι Θεοῦ.

Deuter. VIII. 3.

לְמַעַן הוֹדִיעֲךָ כִּי לֹא עַל הַלֶּחֶם לְבַדּוֹ יִחְיֶה הָאָדָם כִּי עַל־כָּל־ מוֹצָא פִי יְהוָֹה יִחְיֶה הָאָדָם

Versio Gr.

ἵνα ἀναγγείλῃ σοι, ὅτι οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι τῷ ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος.

Apud Matth. nomini ἄνθρ. Articulum ὁ praeponunt 17 Codd. Pro ἐπὶ habent ἐν 6 Codd. ἐκπορ. διὰ στ. omittunt D, Syr. hieros., cet. — Apud Lucam ὁ omittunt Codd. 50, Ed., Orig. Ultima ἀλλ' ἐπὶ π. ρ. Θ. omittunt BL. addunt ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ 10 Codd., Versio Copt. AEth. Arab. polygl., Theophyl.

Locum Deuteron. habent Holmesiani Codd. II. III. IV. VII. X. XI. 15. 16. 18. 19. 28. 29. 30. 32. 44. 46. 52 — 56. 58. 59. 64. 71 — 79. 82 — 85. 106. 108. 118. 128 — 131. 134. Ergo sunt hi 45 Codd.

ὁ ἄνθρ. usque ad ὁ ἄνθρ.] omittitur alterutrum, et quae his interjacent in 28, 52, 85, 130. prius ὁ ἄνθρ. omittitur in Codice 82. prius ὁ omittunt IV. 15. 28. 30. 32. 44. 54. 58. 64. 73. 74. 75. 76. 77. 85. 130. 131. 134. Aldina. Philo I, 121. 122. 544. Orig. II, 118. 388. Chrys. XII, 403. Athan. II, 397. Isid. Pelus. 310. Theodoret. IV. 665. Damasc. II. 676. Armen. 1 aliique, Arm. Ed. Omissum est ὁ primo, sed adscripsit recens manus in 16, 18. ἀλλ] ἀλλ' η 74. 106. 134.

Pro ἐπὶ habent ἐν 16. 32. 44. 59. 73. 77. 131, Cat. Nic., Chrys. l. c., Clem. Al. in Cat. Nic., Theodoret. l. c., Iren. Intp., Ambr., Novat., Arm. 1 aliique, Arm. Edit. Sic Philo I, 544, sed ἐπὶ alibi. ῥήματι subjungit signum Hexaplare finale, sed nullum signum praemittit Codex IV. obelo signat Grab., item Arab. 1. Pro ῥημ. τῷ ἐκτ. Codex 82 habet ἐκπορ. ῥημ. τῷ ἐκπ.] τῶν προπορευομένων (sic) Codex 59. τῷ omittunt 15. 32. 44. 55. 64. 73. 75. 77. 82. 108. 131. Compl. Ald. Alex., Cat. Nic., Orig. II. 118. Chrys. l. c. Athan. l. c. Isid. Pel. l. c. Theodoret. l. c. Damasc. l. c. τῷ omissum est primo, sed adscripsit recens manus in Codice 16. τῷ omittit Philo I. 121. 544. Sed habet I, 122. διὰ] quidam Patres ἐκ. ζήσ. ὁ ἄνθ.] Omittit 53, non subjicit Philo. ὁ ἄνθ.] Omittitur ὁ in 15. 75, 76. 108. Orig. l. c. Damasc. l. c. ὁ adscripsit recens manus in Codice 18.

Cf. § 36 N°. 1 — 4.

Matth. IV. 7.	Luc. IV. 12.
οὐκ ἐκπειράσεις κύριον τὸν θεόν σου.	ut Matth.
Deut. VI. 16.	**Vers. Gr.**
לֹא תְנַסּוּ אֶת־יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם כַּאֲשֶׁר נִסִּיתֶם בַּמַּסָּה	Οὐκ ἐκπειράσεις κύριον τὸν θεόν σου ὃν τρόπον ἐξεπειράσατε ἐν τῷ πειρασμῷ.

Pro ἐξεπειράσατε Codex XI, et Armen. habent singularem. — ἐξεπειράσασθε habent 17 Codd. αὐτὸν addunt nonnulli. ἐν

τῷ omittunt iidem fere. Post ἐν τῷ π. 75 habet ἐν τῇ ἐρήμῳ.

Matth. IV. 10.	Luc. IV. 8.
Κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.	προσκυνήσεις κύριον τὸν θεόν σου, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.
Deut. VI. 13.	Vers. Gr.
אֶת־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ תִּירָא וְאֹתוֹ תַעֲבֹד	Κύριον τὸν θεόν σου φοβηθήσῃ καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.
Deut. X. 20.	
את־יהוה אלהיך תירא אתו תעבד	Κυρ. τ. θ. σου φ. καὶ αὐτῷ λατρ.

In Luca προσκυν. ut in Matthaeo postponunt 17 Codd.

Locum Deut. VI. 13. habent, praeter Codicem IV, omnes modo numerati ad Deut. VIII. 3. Ergo sunt hi 44 Codd.

φοβ.] φοβήθητε 53. Slav. Ostrog. προσκυνήσεις 82., Ed. Alexand., Chrys. I, 482., ac saepe. Athan. I, 36. Sic etiam Orig. I, 279, 586, sed φοβηθήσῃ I, 740. Sic quoque Cyr. Al. II, 586, 619, et alibi saepe; sed φοβ. idem VII, parte 2, 291, et utroque modo 294. *adorabis* Iren. Intp. Cypr. Aug. Anonym. ap. Aug. Ambr. Fulgent. —— μονῳ] omittunt II, X, 15. 18. 29. 58. 59. 82. 128. Armen. 1 aliique, Arm. Ed. omittitur in textu, sed habet margo, VII. erasum 131.

Locum Deut. X. 20 iidem Codd. habent, qui Deut. VIII. 3: praeterea 37 et 132. Ergo 47 Codices.

φοβ.] προσκυνήσεις Ed. Alexandr., Cyrill. Al.

αὐτῷ] μόνῳ addunt 16. 28. 30. 32. 37. 44. 46. 52. 53. 73. 74. 76. 77. 85. 106. 129. 130. 131. 134. Compl., Cat. Nic., Philo I. 456, Cyr. Al., Damasc., Ambros., Armeni Codd. 13 (sed in Addendis monet, duo tantum Codd. Arm. hoc addere). μονῳ suprascriptum; incertum an prima manu, 56. Additur in Alex., sed uncis inclusum a Grabio, et in Ed. Slavonicae Mosquensi.

Pro אתו Samarit. habet ואתו. — In Hebraico textu item habent

beat ואתו 22 circiter Codd. Kennic., et circiter 34 Codd. De Ross.; item, ut notat De R., Vulg., Syr., Arabs Saadiae, Arabs Maurit., Onkelos, Jonathan, et Persa. De Rossii Codex 450 notat alios libros legere ואתו.

Cf. § 36 N°. 5 et 6,

§ 32. *Loca quae Matthaeus, Marcus et Lucas habent.*

Matth. XIX. 18.	Marc. X. 19.	Luc. XVIII. 20.
οὐ φονεύσεις· οὐ μοιχεύσεις· οὐ κλέψεις· οὐ ψευδομαρτυρήσεις.	μὴ μοιχεύσῃς· μὴ φονεύσῃς· μὴ κλέψῃς· μὴ ψευδομαρτυρήσῃς· μὴ ἀποστερήσῃς·	μὴ μοιχεύσῃς· μὴ φονεύσῃς· μὴ κλέψῃς· μὴ ψευδομαρτυρήσῃς·

Matth. V. 21.	Jacob. II. 11.
οὐ φονεύσεις.	Ὁ γὰρ εἰπών· μὴ μοιχεύσῃς, εἶπε καί· μὴ φονεύσῃς·
27.	
οὐ μοιχεύσεις.	

Exod. XX. 13.	Ex. XX. 13—16.
לֹא תִּרְצָח לֹא תִּנְאָף לֹא תִּגְנֹב לֹא תַעֲנֶה בְרֵעֲךָ עֵד שָׁקֶר	Οὐ μοιχεύσεις· οὐ κλέψεις· οὐ φονεύσεις· οὐ ψευδομαρτυρήσεις κατὰ τοῦ πλησίον σου μαρτυρίαν ψευδῆ.
Deut. V. 17.	Deut. V. 17—19.
לֹא תִּרְצָח וְלֹא תִּנְאָף וְלֹא תִּגְנֹב וְלֹא תַעֲנֶה בְרֵעֲךָ עֵד שָׁוְא	οὐ φονεύσεις· οὐ μοιχεύσεις· οὐ κλέψεις· οὐ ψευδομαρτυρήσεις κατὰ τοῦ πλησίον σου μαρτυρίαν ψευδῆ.

In Marco μὴ φον. omittunt 1, 118, 209, brix. Ponitur ante μοιχ. in BC 115. Mosc. i. n. Copt., Arab., Colbertino: et post κλέψῃς in Syr., Pers. polygl. Post μὴ φον. item D graece habet μὴ πορνεύσῃς: Sic pro μὴ κλέψῃς (quod in Vers. Latinae Codice deest Corbejensi) habet Colbertinus.

In Jacobo μοιχ. et φον. transponunt Codex C, (et forte 69), Mosc. m, Syr. post., Arab., Arm., Theoph.

Lo-

Locum Ex. XX. 13 — 15 habent Codd. II. III. VII. X. 14. 15. 16. 18. 19. 25. 29. 30. 32. 44. 52. 53. 55 — 58. 59. 64. 71 — 79. 82 — 85. 106. 108. 118. 128 — 131. 134. 136. Sunt hi 44 Codices.

Comma 13 *οὐ μοιχ.*]

οὐ φονεύσεις habent VII. X. 15. 18. 19. 25. 29. 52. 55. 58. 59. 64. 71. 72. 83. 85. 106. 108. 128. 131. 134. Compl. Ald. Alex. Cat. Nic. Clem. Al. 446. Cosm. V. 196. Tert. Aug. Gaud. Brix. Hilar. Anonym. ap. Aug. Sic Cyr. Al. VI, parte prima, 75 et alibi, sed et alibi ut Vatic. — *μὴ*] *φονεύσῃς* Basil. Sel. Orat. III. 14. *ne occide* Slav., Arm. 1. aliique, Arm. Ed. *non furabere* Georgiana.

Comma 14. *οὐ κλέψ.*]

οὐ μοιχεύσεις habent VII. X. 18. 19. 25. 29. 52. 55. 58. 59. 64. 72. 83. 85. 106. 108. 128. 131. 134. Compl. Ald. Alex. Cat. Nic., Theophil. 110. Philo II. 186 (*h*). Clem. Al. 446. Cosm. V. 196. Tert. Aug. Hilar. Gaud. Brix. Anon. ap. Aug.; Coptica, Arabica Codex 1. 2. 3, Slavon., Georg., Armen. 1 aliique, Arm. Ed. — *οὐ φονεύσεις* 14. 16. 30. 57. 73. 75. 76. 77. 78. 130. 136. Maxim. in Cat. Nic. I. 782, Hier. Aug. semel.

Comma 15. *οὐ φον.*]

οὐ κλέψεις habent VII. X. 14. 16. 18. 19. 25. 29. 30. 52. 55. 57. 58. 59. 64. 72. 73. 75. 77. 78. 83. 85. 106. 108. 128. 130. 131. 134. 136. Compl. Ald. Alex. Cat. Nic. Clem. Al. 446. Theophil. 110. Cosm. l. c. Maxim. l. c. Tert. Aug. Hier. Anon. ap. Aug., Copt., Arab. 1. 2, Slav. Sic Cyr. Al. I, parte prima, 75, et alibi, sed et alibi ut Vat. *μὴ μοιχεύσῃς* Basil. Sel. Orat. III. 114.

Lo-

(*h*) Philo ibi sic ponit: *οὐ μοιχεύσεις, οὐ φον., οὐ κλ.* — p. 201. sq. diserte eundem ordinem servat: item p. 299 sqq., 335: item p. 207 sq., ubi cf. Mangeius.

Digitized by Google

Locum Deuter. V. 17—19 continent Codd. II. III. VII. X. XI. 15. 16. 18. 19. 28. 29. 30. 32. 44. 46. 52—56. 58. 59. 64. 71—79. 82—85. 106. 108. 118. 128—131. 134. Sunt hi 44 Codices.

Comma 17 *οὐ φον.*]

Omittit Arab. 2. *οὐ μοιχ.* habent II. XI. 19. 44. 54. 74. 75. 76. 106. 108. 118. 134, Armen. 1 aliique, Arm. Ed. *μὴ φονεύσῃς* Epiph. I, 700 et alibi.

Comma 18 *οὐ μοιχ.*]

